

www.e-rara.ch

Cursus philosophicus monasterii S. Galli

Sfondrati, Celestino

[St. Gallen], anno 1741

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 234

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30930>

[Sectio I. - II.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



TRACTATUS III.

De

TERTIA MENTIS OPERA- TIONE,

sive

DISCURSU.

Libros, qui instrumenta tradunt pro Tertia Mentis Operatione dirigenda, ARISTOTELES *Analyticos*, hoc est, *Resolutorios* appellavit. *Resolutio* autem in genere nihil aliud est, quàm *totius in suas partes divisio*; sicut enim corpus humanum tunc resolvitur, cùm in suas partes, & principia secatur, aut spontè redit, ex quibus componitur; & domus, cùm in lapides, ligna, coementum, ex quibus compacta est: sic & Demonstratio resolvi dicitur, cùm principia, ex quibus constat, con-
sede-

siderantur, & ita velut mente, & cogitatione retexuntur. Hos libros ARISTOTELIS in duas partes distinxit: in prima agit *de priori analysi*, seu *resolutione*, hoc est, de forma syllogistica, ejusque principiis, ac artificio, quam etiam alij *resolutionem consequentiae* vocant: tunc verò consequentiam resolvimus, cùm ejus bonitatem ostendimus; eò quòd principiis constet ad regulam artis compositis, si bique connexis, & ex quibus, si Præmissæ sint, veritas infallibiliter consequatur, potest enim ex vero falsum deduci, si mala sit consequentia; sicut enim voluntas nunquam eligit, amâque malum, nisi specie boni vestitum; ita nec intellectus falso assentitur, nisi ex vero aliquo principio deductum, colorem, & faciem veritatis assumat. Nihil falsius, quàm Deum nullum esse, & tamen ex veris principiis hoc Athei inferebant apud Plutarchum *de Plac. Phil. l. 1. c. 7. Cum deterrimo quoque*, inquiunt, *fortuna præclare agit, contrà cum præstantissimo pessimè; ergò Deus non est, aut si est, humana non curat. Deus*

non potest facere, ut stet, qui sedet, ut vigilet, qui dormit; ergò Deus non omnia potest. & si non potest, Deus non est. Ariani sic arguebant: Filius est à Patre genitus; ergò est minor Patre. & creatura. Lutherani sic: Non est bonum, hominem esse solum; ergò non est bonum, hominem esse Monachum &c. In secunda parte agit ARISTOTELES de posteriori analysi. hoc est, de resolutione consequentis: tunc verò resolvimus consequens, cùm ostendimus, illud ex veris principiis deduci, quæq; veritatem conclusionis contineant; sicut enim in aliis artibus non quælibet materia ad consequendum artis finem est idonea (nemo enim in plumbo navigat, aut in aqua pingit, aut vitro ædificat) ita nec in arte verum cognoscendi quælibet propositio, aut quodlibet principium inferendæ veritati servit, v. g. ex eo, quòd sol in occasu rubeat, non licet inferre: ergò infallibiliter crastinâ serenum erit: nec ex eo, quòd halcyones nidulentur, concludi potest: ergò hodie nullus infallibiliter in mari ventus, nulla tempestas

erit

erit &c. Cùm ergò intellectus humanus possit in discursu falli, & falsum ex vero inferre, opus aliquâ arte fuit, quâ dirigeretur, & falsum in discursu vitaret: hoc præstat Logica in *analysisi* tum *prioristica*, tum *posterioristica*: sed de hac in præsentì TRACTATU potissimùm agemus; de illa enim plerâque jam in Summulis tradidimus.

SECTIO I.

De Syllogismo in genere.

Rovidè omnia suis natura armis instruxit. Leoni cauda, tauro cornua, oculi basilisco, lachrimæ crocodilo, dentes cani, viperæ venena pro armis sunt: ne apiculæ quidem suus deficit aculeus. Num solus homo exarmatus? imò, ne brutorum instar ageret, ratio illi pro armis data est, ut solâ sibi ratione & pugnandum sciret, & vincendum. Hâc se tuetur, & alios aggreditur. Ejus verò panopliam nullibi melius, quàm in *Syllogismo*, nullibi perfectiùs, quàm in *Demonstratione* reperies.

§ 66 *Traſtat. III. De Tertia Ment. Operat.*
ries. De utrâque Logicus, ſed ordine ſuo
priùs de *Syllogiſmo*, cujus primò eſſentia, tum
partes, earumque proprietates examinandæ.

Quæſtio I.

*In quo conſiſtat formaliter Syllo-
giſmus.*

S U M M A R I A.

1. Exponitur ſtatus Quæſtionis. 2. Syllogiſmus
non conſiſtit formaliter in ſolis præmiſſis, 3. &
4. ſed in præmiſſis, & concluſione ſimul. 5. 6. &
7. Solvuntur objectiones.

I PRÆnotand. Syllogiſmum duos ſaltem a-
ctus judiciij præſupponere, ex quibus
ſequatur, & conficiatur diſcurſus, extra
controverſiam eſt: quia *ſyllogiſmus* eſt eſ-
ſentialiter cognitio habita per medium,
nec eſt immediata cognitio connexionis
extremorum inter ſe, ſed quia intellectus
duo extrema priùs unita videt in medio,
poſteà cognoscit etiam illa uniri inter ſe;
aliud enim eſt, cognoscere unum in alio,
ſicut effectus neceſſarius cognosci poteſt
in cauſa comprehenſa, ad quod non re-
quiritur diſcurſus, & aliud eſt, unum cog-
noscere ex alio, quod ſolius eſt diſcur-
ſus, ut docet S. Thomas 1. p. q. 58. a. 3.

Unde

Unde dubitari solet, an sicut essentia syllogismi præsuppositivè, ita etiam formaliter in solis præmissis, vel an in præmissis, & conclusione simul consistat?

- 2 Resol. 1. Syllogismus non consistit formaliter in solis præmissis.

Ratio est 1. Quia Syllogismus est tertie mentis operatio, & consequenter non tantum apprehensiva, & judicativa, sed etiam illativa: atqui duæ præmissæ nihil inferunt, nec colligunt, & ideo nec syllogismus dici possunt; hic enim dicitur à συλλογίζεσθαι, hoc est, à colligendo; ergò &c.

Ratio est 2. Syllogismus formaliter definitur: Oratio, in qua quibusdam positis aliud sequitur: sed duæ præmissæ non sunt oratio, in qua quibusdam positis aliud sequitur, sed sunt formalissimè ipsa quædam posita; ergò syllogismus formaliter non consistit in solis præmissis.

Ratio est 3. Omnes regulæ, & principia syllogismorum dantur utique pro syllogismo: sed non dantur pro solis præmissis, ut patet illas examinanti; ergò &c.

- 3 Resol. 2. Syllogismus formaliter, & essentialiter consistit in conclusione, & præmissis. Est contra aliquos RR.

Ratio est 1. Ex dictis syllogismus definitur: Oratio, in qua quibusdam positis aliud se-

quitur; ergò in syllogismo & præmissæ, & conclusio formaliter clauduntur.

¶ Néque dicas: Præmissas in syllogismo tantum præsuppositivè contineri; nam

Contra est: Tum quia gratis hoc dicis: tum quia, quæ præsupponuntur, non dicuntur in aliquo esse; quis enim dicat, artificem esse in statua, architectum in domo, penicillum in imagine, quia præsupponuntur? Tum quia syllogismus essentialiter dicit copulam rationalem ergò: ubi verò est copula, & unio, ibi formaliter, & non tantum præsuppositivè sunt plures partes.

Ratio est 2. Discursus syllogisticus formaliter est motus quidam intellectualis, paulatim veritatem inducens, ac totum quoddam artificiale mentale, constans materiâ, formâ, ordine, dispositione partium, mutuâ colligatione, ut patet ex regulis syllogismorum, de quibus in Summulis: sed motus non tantum unâ parte, sed pluribus essentialiter constat, & artefacta essentialiter dicunt compositionem ex pluribus; ergò syllogismus ex conclusione, & præmissis formaliter, & essentialiter componitur.

¶ Objic. 1. *Cont. 2. Resol.* Effectus syllogismi non est de essentia syllogismi: sed conclusio est effectus syllogismi; ergò conclusio non est de essentia syllogismi. *min. prob.* Scientia est effectus syllogismi: sed conclusio

clusio est cognitio scientifica; ergo &c.

Resp. Dist. M. Effectus syllogismi non est de essentia syllogismi, *adaquatè sumpti*, *Conc. M.* non est de essentia syllogismi, *inadaquatè sumpti*, *Neg. M. Dist. min.* conclusio est effectus syllogismi, *adaquatè sumpti*, *Neg. min.* est effectus syllogismi, *inadaquatè sumpti*, *Conc. min. & Neg. Consequent.* Dicimus ergo syllogismum duplici modo considerari posse, *adaquatè*, & *inadaquatè*. Priori modo accipitur, ut est quoddam compositum ex præmissis, & conclusione: posteriori verò accipitur vel pro sola causa conclusionis, vel pro sola conclusione. Jam ergo syllogismus, *adaquatè acceptus*, pro conclusione scilicet, & præmissis, habet pro effectu formali scientiam, non verò ipsam conclusionem, quia & ipsa conclusio, juncta præmissis, est causa formalis scientiæ; est ergo quidem conclusio effectus præmissarum, non tamen est effectus syllogismi, *adaquatè sumpti*.

¶ Dices: Scientia differt ab eo, quod facit scire: sed conclusio est scientia, & syllogismus facit scire; ergo conclusio differt à syllogismo, & consequenter non est de essentia syllogismi.

Resp. Dist. M. Scientia differt ab eo, quod facit scire *efficienter*, *Conc. M.* quod facit scire *formaliter*, *Neg. M. Dist. 2. membr.*

min. ſyllogiſmus facit ſcire formaliter, Conc. min. facit ſcire efficienter, ſubdiſt. ſyllogiſmus inadæquatè ſumptus pro ſolis præmiſſis, Conc. min. ſyllogiſmus adæquatè ſumptus pro conſequentia, & præmiſſis, Neg. min. & Conſequent. Syllogiſmus enim, adæquatè ſumptus, eſt cauſa duntaxat formalis ſcientiæ, & ideo non oportet eum ab actu ſcientiæ diſtingui: ſic color eſt cauſa colorati: anima cauſa vitæ &c.

- 7 *Objic. 2. Diſcurſus ſyllogiſticus eſt cognitio deducta ex aliis: ſed ſola conſequentia eſt cognitio deducta ex aliis; ergo ſola conſequentia eſt diſcurſus, & illa alia non ſunt diſcurſus, ſed ad diſcurſum requiſita.*

Reſp. Diſt. M. Diſcurſus, formaliter acceptus, eſt cognitio deducta ex aliis, Neg. M. ſic enim eſt ipſa deductio, ſicut curſus non eſt apprehenſio loci (ſic enim eſt potiùs quies, non curſus) ſed ipſe motus ad locum. Diſcurſus, terminativè, ſeu conſummativè acceptus eſt, cognitio deducta ex aliis, Conc. M. Conc. etiam min. & ſub data diſt. Conc. vel Neg. Conſequent. Diſcurſus enim vocatur cognitio deducta ex aliis, non quòd non omnes præmiſſas includat, & in ijs omnibus non conſiſtat, ſed quia una ex alia pendet, & in ultima, quæ ex duabus inferitur, conſummatur diſcurſus.

Quæ-

Quæstio II.

Quomodo Præmissæ causent Conclusionem?

SUMMARI A.

1. Proponitur status Quæstionis, & referuntur sententia. 2. & 3. Præmissas formales effectivè physicè concurrere ad assensum conclusionis, ostenditur. 4. 5. &c. Solvuntur objectiones.

PRænotand. Præmissas (idem de conclusione dicas) alias esse formales, & alias objectivas. Formales sunt illi duo prævij actus intellectûs, per quos utrique propositioni vel assentimur, vel dissentimur. Objectivæ sunt ipsæ res, & objecta, quæ per dictos actus intellectûs vel assensu, vel dissensu attinguntur. Præmissas formales (de objectivis enim hîc non agimus) aliquo modo causare conclusionem formalem, dubium non est; cùm enim conclusio sit actus, ex aliis, scilicet ex præmissis deductus, essentialiter ab istis pendet. Illud ergò solum controversitur, in quo genere causalitatis ad illam concurrant? an nimirum assensus præmissarum unà cum intellectu in genere causæ efficientis physicè influat in assensum conclusionis? ut docent Thomistæ:

ſtæ: vel an tantum in genere cauſa formalis extrinſeca concurrat? illuminando ſcilicet intellectum, eique purè repræſentando objectum, non ſecus ac apprehenſio ad iudicium, & cognitio concurrat ad amorem, ut defendunt RR.

2. *Reſol. Aſſenſus præmiſſarum concurrat effectivè phyſicè ad aſſenſum concluſionis.*

Ratio eſt 1. Authoritas expreſſa S. Thomæ 2. Phyſ. lect. 5. & 5. Metaph. lect. 3. & 1. Poſter. lect. 3. ubi dicit: Principia (id eſt, præmiſſæ formales) ſe habent ad concluſiones in demonſtrativis, ſicut cauſa activæ in naturalibus ad ſuos effectus: ſed cauſæ activæ in naturalibus effectivè phyſicè concurrunt ad ſuos effectus; ergo etiam præmiſſæ formales, ſive aſſenſus præmiſſarum effectivè phyſicè concurrat ad aſſenſum concluſionis. min. prob. ab inductione; ſic videmus, quòd unum lumen eſt cauſa efficiens phyſica alterius luminis; lux enim ſolis aliam lucem in aère, in ſtellis, in luna producit: & lux gemmis innata eſt partus lucis cœleſtis, ſicut & lux iridis colorata: ſic etiam una imago eſt cauſa effectiva alterius imaginis, ut patet in pareliis, & ſpeculis oppoſitis; cur ergo, & non multò magis una cognitio, quæ eſt lux intellectualis, producat aliam cognitionem, & ita præmiſſæ conclu-

clusionem? nec enim ulla est ratio, cur rebus omnibus effectum sibi similem producentibus, solum intellectum omnium potentiarum nobilissimam sterilitate damnemus.

Ratio est 2. Certum est, discursum *causalem*, de quo agimus, aliquam dicere connexionem, & causalitatem præmissarum in conclusionem (ideò enim *causalis* dicitur) ut docet S. Thomas 1. p. q. 14. a. 7. sed præmissæ non dicunt causalitatem *materialem*, aut *formalem*, cum conclusio non constet ex præmissis, nec una præmissa sit forma alterius cognitionis: non sunt etiam causa *finalis*, cum conclusio non sit propter præmissas, sed potius econtrà; ergò sunt causa *effectiva*.

3 Dices: Esse conditionem *sine qua non*.
Sed

Contrà est: Tum quia gravis hoc dicitur; cur enim præmissæ sint potius conditio, quàm vera causa, cum hoc non repugnet? Tum quia conditio *sine qua non* potest divinitus saltem suppleri; non autem potest fieri, ut conclusio sit sine præmissis, & discursus sine illatione ex alio. Tum quia quod continet *virtualiter* aliquid, non est tantum conditio *sine qua non*, sed est hujus causa *effectiva*: sed præmissæ continent *virtualiter* conclusionem; si enim

virtualiter conſuſionem non continent, cur potiùs intellectù, ex ſe indifferentem, ad hanc potiùs, quàm aliam conſuſionem, aut veritatem determinarent? & cur potiùs ex hac præmiſſa: *Petrus eſt animal*, non infero: ergò *Petrus eſt aquila*? Si præmiſſa *virtualiter* conſuſionem non continet, & cauſat *effectivè*, cur conſuſio aſſimilatur præmiſſis, ut ex obſcuris obſcura, ex negati-vis negativa, ex particularibus particularis ſequatur? Sanè hæc conditioni *ſine qua non* aptari non poſſunt, v.g. approximation ignis ad lignum non determinat ignem, ut ignis producat, ſed eſt indifferentis ad alios effectus, ut patet in approximatione aquæ ad lignum, & plantam, ex qua non ignis, ſed flos, aut fructus ſequetur.

Ratio eſt 3. In conſuſione reperitur aliqua formalitas, quæ nec in intellectum, nec in objectum conſuſionis reduci poteſt, tanquam in cauſam *effectivam phyſicam*; ergò reduci in præmiſſas debet. *Ant. prob.* Conſuſio eſt aſſenſus diſcuſivus, ex his, & non aliis præmiſſis deductus, conformis, & in ſimilitudinem præmiſſarum productus, ut patet *tum* ex dictis, *tum* etiam, quia in hac argumentatione: *Petrus eſt homo*; ergò *Petrus eſt animal*, conſuſio eſt imago inadæquata antecedentis, & objectum antecedentis quoad gradum ſenſitivi clariùs,

rius, quàm ipsum antecedens repræsentat: sed hæc omnia reduci nec in objectum, nec in intellectum possunt, tanquam in causam effectivam physicam; ergò &c. *min. prob.* Non primò in intellectum; intellectus enim est indifferens ad hanc, vel illam conclusionem, nisi à præmissis determinetur. Non secundò in objectum; quia & hoc est indifferens, ut modo discursivo, aut definitivo, per has, aut illas præmissas cognoscatur; ergò &c.

- 4 Objic. 1. Intellectus à præmissis illuminatus, & directus ex se virtutem habet sufficientem intelligendi; ergò hæc virtus gratis affingitur præmissis.

Resp. Dist. Ant. Intellectus &c. ex se virtutem habet sufficientem intelligendi pure apprehensivè, *Conc. Ant.* ex se virtutem habet sufficientem intelligendi etiam illativè, *subdist.* ex se virtutem habet inadæquatam tantum & determinatam intelligendi, *Conc. Ant.* ex se virtutem habet adæquatam, & determinatam intelligendi, *Neg. Ant. & Consequent.* Intellectus enim, quamvis sit causa principalis conclusionis, non tamen est causa adæquatè completa, & determinata; nec enim habet vim determinatam inferendi unum ex alio, hoc, vel illo modo, negativè, vel affirmativè &c. nisi à præmissis, & sublatâ naturali indifferentiâ adjuvetur, ac determinetur.

Objic.

§ *Objic. 2. Specificativum rei non concurrat ad illam in genere causæ efficientis, sed formalis extrinsecæ: atqui præmissæ conclusionem specificant; ergò non concurrunt ad illam in genere causæ efficientis, sed formalis extrinsecæ.*

Resp. Dist. M. Specificativum rei non concurrat ad illam in genere causæ efficientis reduplicativè, & sub eo respectu, quò est specificativum rei, Conc. M. non concurrat &c. specificativè, & sub alio respectu, quò non est specificativum rei, Neg. M. Trans. min. & Dist. Conseq. ergò præmissæ non concurrunt ad illam, scilicet conclusionem, in genere causæ efficientis reduplicativè &c. Conc. Conseq. non concurrunt &c. specificativè &c. Neg. Consequent. Quia sicut objectum & specificat actum, quatenus est veritas exemplaris, & intentionaliter expressibilis, & etiam concurrat ad actum effectivè per emissionem, & radiationem specierum intelligibilium; ita & præmissæ specificant conclusionem, quatenus ejus objectum sub tali, & tali ratione, ac lumine intellectui cognoscendum proponunt, & simul conclusionem efficiunt, quia sine illis intellectus non est determinatus ad cognitionem illativam, ut suprà dictum.

§ *Objic. 3. Nihil effectivè physicè influit in aliud, quando non amplius existit: sed*
quan-

quando ponitur cognitio, & assensus conclusionis, non amplius existit cognitio præmissarum; ergò hæc non influit in illam. *min. prob.* Quia discursus est motus quidam intellectualis: atqui in motu transitur de uno in aliud, nec partes motûs simul existunt; ergò &c.

Resp. *Dist. M.* Nihil &c. quando non amplius existit nec *in se*, & *formaliter*, nec *in aliquo sui*, & *virtualiter*, *Conc. M.* quando non amplius existit *in se*, & *formaliter*, existit tamen *in aliquo sui*, & *virtualiter*, *Neg. M. Dist. min.* sed quando &c. non amplius existit cognitio præmissarum *in se*, & *formaliter*, *Conc. min.* non amplius existit cognitio præmissarum *in aliquo sui*, & *virtualiter*, *Neg. min. & Conseq.* Sufficit enim, ut præmissæ adhuc existant in sua specie, & in habitu, ac determinatione intellectûs: sicut semen causat, producitque alium florem in virtute primi illius, & hyeme jam corrupti floris, ex quo decisum, carptumque fuit: & ignis jam extinctus producit alium ignem calore à se relicto.

- 7 *Objic. 4.* Omnis causa, quæ *effectivè* influit in aliud, vel est causa univoca, vel æquivoca: sed præmissæ nec sunt causa univoca, nec æquivoca conclusionis; ergò præmissæ non influunt *effectivè* in conclusionem. *M. est certa. min. prob.* Non e-

nim *primò* sunt causa univoca: quia assensus præmissarum specie distinguitur ab assensu conclusionis, ut constat; præmissæ enim pertinent ad habitum principiorum, & sunt per se notæ: conclusio ad habitum scientiæ, & est nota ex alio. Non etiam *secundò* sunt causa æquivoca: quia causa æquivoca est indifferens ad plures specie effectus: sed præmissæ non sunt ita indifferentes, sed determinatæ ad unam specie conclusionem, ut dictum; ergo &c.

Resp. *Conc. M.* Et dico: Præmissas esse causam æquivocam conclusionis. *Ad prob. Dist. M.* causa æquivoca *universalis* est indifferens ad plures specie effectus, *Conc. M.* causa æquivoca *particularis* est indifferens &c. *Neg. M. Conc. min. & sub eadem dist. Conc. vel Neg. Consequent.* Esse enim determinatum ad unum specie effectum non repugnat causæ æquivocæ *particulari*, quales præmissæ sunt, sed tantum causæ *universali*, quales præmissæ non sunt &c.

Quæstio III.

Utrum Præmissæ necessitent Intellectum ad assensum Conclusionis?

SUM-

S U M M A R I A.

1. *Præmissâ divisione necessitatis, status controversiæ aperitur.* 2. *Positis præmissis probabilibus, intellectus nec quoad speciem, nec quoad exercitium necessitatur ad assensum conclusionis,* 3. *nisi in ijs persistat, easque non retractet.* 4. *Necessitatur tamen intellectus à præmissis necessariis.* 5. 6. 7. & 8. *Solvuntur objectiones.* 9. *An, ut conclusioni assentiatis, cognitio de bonitate illationis necessaria sit?*

I *PRænotand. Quòd duplex sit necessitas, specificationis, sive contrarietatis, & exercitij, sive contradictionis. Necessitas specificationis est, vi cuius potentia ita determinatur ad certam speciem actûs, ut, licet possit omnem actum suspendere, & ab operando cessare, contrarium tamen actum elicere non possit: ita necessitatur voluntas ad amandum bonum sub ratione boni; si enim ei bonum aliquod finitum proponas absque ulla ratione mali, voluntas, etsi in tali casu omnem actum circa illud objectum suspendere possit, si tamen in illud feratur, ferri aliò, quàm amoris actu non potest. Necessitas exercitij est, vi cuius potentia ita determinatur ad actum, ut non solum contrarium non elicere, sed ne quidem actum illum suspendere possit: ita Beati in cœlo rapiuntur ad amandum Deum clarè visum, ut non solum actu odij*

in illum ferri non poſſint, ſed & eum neceſſariò amare debeant, nec ceſſare ab amore poſſint, cùm Bonum infinitum clarè viſum voluntatem etiam *quoad exercitium* rapiat in amorem ſui. De utrâque Quæſtio procedit, cujus ſenſus eſt: an intellectus, poſito aſſenſu præmiſſarum, in *ſyllogiſmo* tam *topico*, quàm *demonſtrativo* ita ſit determinatus circa concluſionis objectum, ut non ſolùm non poſſit ab eo diſſentire, verùm etiam eidem actui aſſentiri debeat, adeoque non poſſit aſſenſum ſuſpendere, aut cohibere?

2. *Reſol. 1.* Poſitis duabus præmiſſis tantùm *probabilibus*, intellectus non neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis, nec *quoad ſpeciem*, nec *quoad exercitium*. S. Thomas 1. p. q. 82. a. 2. &

Ratio eſt; Quia veritas *probabilis* ſe habet ad intellectum, ſicut bonum creatum ſe habet ad voluntatem: ſed bonum creatum non neceſſitat voluntatem ad amandum, quia poteſt malo commixtum eſſe; ergò nec veritas *probabilis* neceſſitat intellectum ad aſſenſum, quia poteſt illi falſum ſubefſe; ergò intellectus poteſt à præmiſſis *probabilibus*, quas ſemel admiſit, ſemper abſiſtere, eâſque retractare; & ita nec concluſioni aſſentiri. Ubi tamen

3. Adverte: Si intellectus admittat præmiſſas

missas probabiles, easque non retractet, sed in ijs persistat, tunc quoque conclusionem necessariò admittet: tum quia assensus præmissarum virtualiter involvit assensum conclusionis: tum quia etiam ex suppositione falsi necessariò sequitur verum (v.g. si bos habet alas; ergò potest volare) quanto magis ex suppositione veri probabilis? tum deniq; quia causa necessaria necessariò agit, & necessariò connexa necessariò se inferunt: atqui in omni materia dictum de omni est dictum de aliquo, & quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; si ergò dictum de omni sit probabile, etiam dictum de aliquo erit probabile.

- 4 Resol. 2. Præmissæ in syllogismo demonstrativo necessitant intellectum ad assensum conclusionis, non tantum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. S. Thomas 1. p. q. 82. a. 2.

Ratio 1. Partis est; Quia præmissæ in syllogismo demonstrativo sunt certæ, & evidentes; ergò & conclusio est certò, & evidenter vera; ex vero enim in bona consequentia non sequitur, nisi verum, ut in Summulis demonstratum: atqui verò ut tali dissentire nemo potest; si enim posses dissentire, & assentire veritati, posses simul judicare, duo contradictoria esse vera, v.g. triangulus habet tres angulos, triangulus non habet tres angulos; ergò &c.

Rr 3

Ratio

Ratio 2. *Partis* est 1. Potentia necessaria, positis omnibus ad agendum requisitis, *necessariò* agit *necessitate* etiam *quoad exercitium*, ut patet in visu; color enim oculo aperto, & vigilantì propositus, ac sufficienter illustratus *necessariò* videtur, quia causæ omnes visionis sunt necessariae: sed intellectus est potentia necessaria, & requisita ad agendum sunt præmissæ necessariae; ergò, his positis, intellectus *necessariò* agit, elicitque assensum conclusionis *necessitate* etiam *quoad exercitium*.

Ratio est 2. Voluntas non est potentior in actus aliarum potentiarum, quàm in suos; ideò enim liberè alias potentias movet, quia se ipsam liberè movet: sed non potest voluntas actum proprium amoris suspendere circa objectum omnino bonum, & nulla ex parte malum, & ideò Beati Deum *necessariò* amant, etiam *quoad exercitium*; ergò multò minùs poterit impedire intellectum, ut non assentiatur objecto omni ex parte vero, evidenti, & nullâ suspitione falsi asperso.

Confirmatur: Præstito assensu præmissarum, tam evidenter sequitur conclusio, ac, positâ apprehensione terminorum in primis principiis, sequitur assensus eorum: sed voluntas hunc assensum *directè* impedire non potest (fac enim, si potes, ut, appre-

apprehenso hoc termino *trianguli*, non concipias, aut judices, tres angulos in triangulo esse) ergò nec illum *directè* impedire potest: *directè*, inquam; *indirectè* enim assensum conclusionis impedire posse, dubium non est, ut si voluntas intellectum ab objecto præmissarum divertere faciat, ne illi attendat.

5 *Objic. 1. Cont. 2. Part. 2. Resol.* Intellectus despoticè subest imperio voluntatis; ergò eundem pro libitu impedire potest ab assensu conclusionis, stante etiam assensu, semel præmissis dato.

Resp. Dist. Ant. Intellectus despoticè subest imperio voluntatis *absolutè*, hoc est, præviè ad applicationem à voluntate imperandam, *Transf. Ant.* despoticè subest imperio voluntatis *conditionatè*, sive *ex hypothesi*, & applicatione à voluntate jam factâ, & imperatâ, *Neg. Ant. & Conseq.* Imperium ergò voluntatis in intellectum est quidem *absolutè* despoticum, quia potest intellectum applicare, vel avertere à consideratione objecti, non tamen *ex hypothesi*, quòd voluntas eum ad præmissas applicaverit, ut patet in potentia visiva, appetitiva, & etiam in motiva, quæ omnium maxime voluntati despoticè subjicitur; quamvis enim voluntas possit motivam retinere, aut ad motum impellere, semel tamen

in lubrico, aut præcipiti incitatum non
ſemper morari poteſt, & curſum inhibere.

- 6 **Objic. 2.** Tamdiu potentia non neceſſitatur ad actum *quoad exercitium*, quamdiu, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, adhuc manet indifferens ad actum: ſed intellectus, poſitis etiam præmiſſis neceſſariis ad inferendam concluſionem requiſitis, adhuc manet indifferens ad actum, ſive ad aſſenſum concluſionis; ergò ab ijs non neceſſitatur *quoad exercitium* ad aſſenſum concluſionis. *M. eſt certa. min. prob.* Poſitis duabus præmiſſis univerſalibus affirmativis, poteſt intellectus concluſionem inferre vel univerſalem, & directam in *Barbara*, vel particularem, & indirectam in *Baralip*; ergò &c.

Reſp. Conc. M. Neg. min. ad prob. Conc. Ant. Diſt. Conſeq. ergò intellectus &c. adhuc manet indifferens ad actum *quoad ſubſtantiam*, *Neg. Conſeq.* adhuc manet indifferens ad actum *quoad modum*, *Conc. Conſeq.* Quòd verò intellectus in dicto caſu concluſionem vel univerſalem in *Barbara*, vel particularem in *Baralip* inferre poſſit, & ita *quoad modum* actûs maneat adhuc indifferens, ex eo provenit, quia præmiſſa univerſalis æquivaleret particulari, & ita non eſt ad ſenſum tantum univerſalem determinata; ergò nec intellectum ad ſolum

lum hunc sensum universalem determinare potest; determinari ergò quoad hunc, vel illum *modum* debet à voluntatis imperio, quod omnibus aliis potentiis necessariis commune est; sic enim, licet oculus sit potentia necessaria, & apertis palpebris, objecto debite approximato, ac medio sufficienter illuminato *necessariò* etiam quoad *exercitium* colorem videat, applicari tamen à voluntate potest quoad *modum* visionis, ut videlicet vel in linea recta, vel obliqua colorem aspiciat; ad hunc enim *modum* non determinatur à colore, & ideò determinari debet à voluntate, cujus imperio, & directioni quoad hunc *modum* subesse cogitur.

7 Objic. 3. Ubi est *necessitas* agendi, ibi non est habitus facilitans ad agendum, ut patet in igne, lapide &c. quæ sine habitu agunt, quia *necessariò*: sed datur habitus conclusionis, sicut datur habitus scientiæ; nihil enim aliud est conclusio, quàm scientia actualis; ergò nulla est *necessitas* conclusionis.

Resp. I. Neg. M. Falsum enim est, ubi est *necessitas* agendi, non esse difficultatem, aut habitum; sicut enim *necessitas* non excludit impedimenta, & pugnam contrariorum, ut in agentibus naturalibus, ita nec difficultatem. Beati *necessariò* Deum amant,

nec tamen habitu charitatis destituuntur.

Resp. 2. *Transf. M. Neg. supposit. min.*
 Habitus enim scientiæ non datur intellectui, ut, positis præmissis, conclusionem inferat; id enim minimi laboris est: sed maximè, ut præmissas, & motiva concludendi, & inferendi in promptu habeat.

- 8 Objic. 4. Nulla bonitas creata cogit ad amorem; ergò nec ulla veritas creata ad assensum.

Resp. *Transf. Ant. Neg. Conseq. & Parit.*
 Quis enim non contrarium experitur in omnibus objectis sensuum, & in veritatibus per se notis, qualis v. g. est ista: *duo, & tria sunt quinque?* Disparitas verò est, *tum* quia voluntas libera est, non verò intellectus: *tum* quia nulla bonitas creata vel intrinsecè, vel extrinsecè non aliquo malo inficitur, ob quod voluntati aut fastidio, aut contemptui, aut odio esse non possit: secùs est in veritate, quæ nulli falso miscetur, imò nec misceri potest, aliàs nec veritas esset, consistit enim in indivisibili: *tum* deniq; quia bonum creatum potest esse impeditivum majoris boni; bonum enim trahit amantem ad se, suique possessionem non tantum *intentionalem*, sed etiam *realem*, & ideò multis casibus, & periculis subjacet, & amantem exponit; econtrà veritas est in intellectu,
 nec

nec realiter, sed intentionaliter possidetur, & ideo in animo abdita extra omnem casum, & periculum est, & objecto etiam corrupto, nec existente, tamen in intellectu perdurat, & ideo veritas non est impeditiva majoris veri, nec aliquid habet, cujus gratiâ respui ab intellectu possit.

- 9 Quæres: Utrùm ante assensum conclusionis debeat præcognosci bonitas consequentiæ?

Resp. Ut conclusioni quis assentiatur, semper opus est, ut quis cognoscat bonitatem illationis, hoc est, ut cognoscat, consequens bene inferri ex antecedente.

Ratio est: Tum quia intellectus non assentitur firmiter veritati per se non notæ, nisi convictus, & certus veritatis: sed solis præmissis, quantumvis veris, non redditur certus de veritate conclusionis, nisi illi constet de bonitate consequentiæ, & illationis; cum possint præmissæ omnes esse veræ, & tamen mala, & falsa illatio, v.g. in hoc syllogismo: *omnis homo est animal: omnis equus est animal; ergo omnis equus est homo*: & in hoc enthymemate: *Deus latroni spatium poenitendi, & gratiam dedit; ergo & mihi dabit &c.* tum quia præmissæ necessitant ad assensum conclusionis, ut ostendimus: sed stante dubio, multoque magis stante igno-

ignorantiâ de bonitate illationis, intellectus neceſſitari ad concluſionem non poteſt; quis enim dicat, in præmiſſis ſyllogiſmis intellectum neceſſitari, ut falſo aſſentiatuſ? ergò &c. Subinde tamen poteſt cognitio, & bonitas illationis ita eſſe clara, ut eòdem actu, quò præmiſſas, & concluſionem, etiam illationis bonitatem agnoſcam: ſicut eòdem actu & lucem, & colorem, & motum colorati videmus.

Quæſtio IV.

Utrum aſſenſu Concluſionis attingatur etiam obiectum Præmiſſarum?

S U M M A R I A.

1. *Explanatur Quæſtio. 2. Reſolvitur, obiectum præmiſſarum ſe habere ut obiectum quò ad aſſenſum concluſionis. 3. 4. 5. & 6. Solvuntur objectiones.*

I *P* RÆNOTAND. *Obiectum Præmiſſarum non eſſe obiectum concluſionis: hoc eſt, non idem omnino, quod in præmiſſis, hoc etiam in concluſione cognoviſcimus; obiectum enim præmiſſarum eſt id, quod in præmiſſis cognoviſcimus: ſed non eadem omnino veritas, quæ in præmiſſis, etiam in concluſione cognoviſcitur: tum quia præmiſſæ*

sæ sæpè sunt universales, conclusio particularis: tum quia conclusio cognoscit etiam connexionem consequentis cum antecedente, & bonitatem illationis denotatam per copulam ergò, quod in præmissis non contingit. Quare id solum controversitur, an saltem assensu conclusionis etiam attingatur *objectum* præmissarum, tanquam *objectum quò*, & motivum cognoscendi conclusionem? sive, quod idem est, an conclusio se reflectat supra præmissas formales?

2. Resol. Assensus conclusionis necessario attingit *objectum* præmissarum, tanquam *objectum*, quò movetur intellectus, ut conclusioni assentiatur; sicut eodem actu visionis & colorem attingo, & lucem, tanquam immediatam rationem, quâ color redditur visibilis. Est contra Suar. Vasq. Conimbr. &c.

Ratio est 1. Autoritas S. Thomæ q. 22. de verit. a. 14. ad 3. Dicendum, inquit, quòd quando conclusio, & principium considerantur utrumque per se, sunt diversæ considerationes; sed quando consideratur principium in ordine ad conclusionem, est eadem consideratio utriusque, sicut fit in syllogismo.

Ratio est 2. Conclusio sine præmissis est velut color non illuminatus, & sine luce: sed color non illuminatus, & sine
lucē

luce ab oculo attingi nequit; ergò etiam conclusio à præmiſſis non illuminata, & ſine præmiſſis ab intellectu cognosci nequit; ergò aſſenſus conclusionis neceſſariò attingit *objectum* præmiſſarum, tanquam *objectum*, quò movetur intellectus, ut conclusioni aſſentiat. *min. eſt certà. M. etiam patet*; ſicut enim color *per ſe* non eſt viſibilis, ita conclusio, cùm non ſit *per ſe*, ſed ex præmiſſis nota, *per ſe* non eſt cognoscibilis; ſicut ergò color ab oculo videri debet unà cum luce, tanquam immediatà ratione, quâ color redditur viſibilis; ita & conclusio ab intellectu cognosci debet unà cum præmiſſis, tanquam immediatà ratione, quâ conclusio redditur cognoscibilis.

Confirmatur 1. Sic ſe habet ad intellectum veritas *per ſe* non nota, ſicut ad voluntatem bonitas *per ſe* non amabilis: ſed iſta non movet voluntatem, niſi ſub motivo finis *per ſe* amabilis; ergò nec illa intellectum, niſi ſub motivo præmiſſarum, & veritatis *per ſe* cognoscibilis. *M. eſt certà ob parit. rationis. min. etiam patet*; quia cùm quis eligit v.g. hauſtum amariffimæ potionis, quam aliàs natura averſatur, attingit unà, & vult ſanitatē, tanquam intrinſecum motivum electionis, & acceptationis medijs tam inamabilis; præcisâ enim ſanitate tale

me-

medium non haberet vim movendi, & alliciendi voluntatem &c. Cùm ergò nec veritas conclusionis, præcisâ veritate præmissarum, habeat vim impetrandi ab intellectu consensum, quia *per se* non est nota, necessariò sequitur, assensu conclusionis etiam unâ attingi *objectum* præmissarum.

Confirmatur 2. *Syllogismus* vocalis est exemplar *syllogismi* mentalis, ejusque imago, sicut domus in charta coloribus delineata est exemplar veræ, & realis domûs: sed in *syllogismo* vocali conclusio attingit etiam *objectum* præmissarum, tanquam motivum, quò movetur intellectus, ut conclusioni assentiatur; ergò etiam in *syllogismo* mentali. *min. prob.* Quia conclusio in *syllogismo* vocali non tantum significat ejus veritatem, sed etiam connexionem cum præmissis, velut cum motivo, & ratione assentiendi, quæ exprimitur per particulam *ergò*, quæ hunc sensum facit: *Petrus est homo; ergò, quia est homo, est animal*; ubi vides motivum concludendi in conclusione notari, attingique; ergò &c.

3 Objic. 1. Ex dictis sequitur, intellectum eòdem instanti & conclusioni, & præmissis assentiri: sed hoc videtur absurdum; ergò &c.

Reip. 1. *Transf. seq. M. Neg. min.* Nihil enim hoc absurdi; nam & visio eòdem instanti.

stanti & in colorem fertur, & in lucem; cur ergò minus intellectui, oculo animæ, concedas, quàm oculo corporis?

Resp. 2. *Dist. sequel. M.* sequitur, intellectum eòdem instanti conclusioni, & præmissis assentiri *sub eadem formalitate*, *Neg. sequel. M.* sequitur, intellectum eòdem instanti conclusioni, & præmissis assentiri *sub diversa formalitate*, *Conc. sequel. M. Dist. eòdem modo min. & Neg. Consequent.* Dicimus ergò, cognitionem conclusivam esse discursivam, & idèò attingere *tum objectum conclusionis, tum objectum præmissarum*, diverso tamen modo, & *sub diversa formalitate*; *objectum* enim conclusionis attingit *ut quod*, quia attingit illud, *ut veritatem deductam, illatam, dependentem à præmissis*, & consequenter *ut objectum discursûs*: *objectum* verò præmissarum attingit *ut quò*, quia etsi verè illud cognoscat, cognoscit tamen *ut veritatem non illatam, non deductam, nec illuminatam, sed per se notam*, & consequenter, quæ est ratio formalis, & motivum cognoscendæ conclusionis.

4. *Objic. 2.* Si cognitio, & assensus conclusionis est etiam cognitio præmissarum, sequitur, nullum posse recordari conclusionis, quin simul recordetur præmissarum: sed sæpè recordamur conclusionis, nec recor-

recordamur præmissarum, aut motivi, ut experientiâ patet; ergò cognitio, & assensus conclusionis non est cognitio præmissarum, nec in istas necessariò fertur.

Resp. 1. *Neg. sequel. M.* Quamvis enim cognitio conclusionis cadat etiam super motivum, & præmissas, fieri tamen potest, ut species motivi amittantur, durantibus speciebus, quæ conclusionem repræsentabant; species enim, cum sint semina objecti, ab eoque essentialiter pendeant, multiplicantur pro multiplicatione objecti, & unâ specie partiali corruptâ, potest alia durare: sic, quamvis unâ, eâdemque visione totam Cæsaris statuam intuear, si pars illius obveletur, partem unam videbo, alterâ latente, & visum fugiente.

Resp. 2. *Dist. sequel. M.* sequitur, nullum posse recordari conclusionis, *quatenus talis*, & ut formaliter deducta est, quin simul recordetur præmissarum, *Conc. sequel. M.* sequitur, nullum posse recordari conclusionis, *materialiter sumptæ*, & ut simplex veritas est, quin simul recordetur præmissarum, *Neg. sequel. M. Dist. etiam min.* sæpè recordamur conclusionis, *materialiter sumptæ*, & ut simplex veritas est, nec recordamur præmissarum, aut motivi, *Conc. min.* sæpè recordamur conclusionis, *quatenus talis*, & ut formaliter deducta est, nec recor-

damur præmissarum, *Neg. min. & Consequent.* In illo autem casu, quò quis recordatur conclusionis, nec recordatur præmissarum, conclusio non amplius cognoscetur ut deducta, ut connexa cum præmissis, ut illuminata, & evidenter cognoscibilis, sed tantum ut simplex veritas: nec intellectum ad assensum inflectet, sed relinquet suspensum, quia tota vis intellectum ad unam partem rapiendi ex motivo aut probabili, aut per se noto, & evidenti provenit, sicut tota vis lancem in unam, aut alteram partem deprimendi à ponderibus est, & impetu ab illis impresso.

- 5 *Objic. 3.* Si conclusio fertur in præmissas, & motiva, quæ ad consensum alliciunt, tunc fertur etiam in motiva, quæ retrahunt, v.g. si quinque testes omni exceptione majores negent, Petrum, cujus cadaver in platea jacet, à Carolo interfectum esse, tres verò æquè fide digni asserant, Petrum à Carolo occisum, ego auctoritate quinque testium motus concludam; ergò Carolus non occidit Petrum: conclusio hæc utràque testimonia attingere deberet: sed conclusio non fertur in motiva, quæ ab assensu retrahunt; ergò nec fertur in motiva, quæ ad consensum alliciunt. *M. patet;* nam etiam motiva, quæ retrahunt, cum naturaliter agant, vim suam

am in intellectum exerunt. *min. verò prob.* Quod difficultat actum, & est ejus impeditivum, non potest essentialiter ad actum requiri: sed motiva, quæ ab assensu conclusionis retrahunt, difficultant actum conclusionis, suntque ejus impeditiva; ergò non possunt essentialiter ad actum conclusionis requiri.

Resp. Conc. M. Illa enim conclusio est tantum probabilis, habetque hunc sensum: *probabilius est, Petrum non esse homicidam, probabile tamen etiam est, esse homicidam, quia tres fide digni hoc dicunt; cum ergò hæc conclusio sit mixta ex duabus, & pugnantibus veritatibus, mirum non est, si ex contrariis, & pugnantibus motivis feratur; nam & corpus mixtum ex contrariis, & pugnantibus elementis constat. Unde Neg. min. ad prob. Neg. M.* Nam pugna difficultat actum, impeditque victoriam, & tamen necessario ad victoriam requiritur; cum ergò illa conclusio sit victoria, ex pugna motivorum parta, mirum non est, si feratur etiam in motiva, conclusionem retardantia.

- 6 *Objic. 4.* Quod propriam, & distinctam habet cognoscibilitatem, cognosci potest, quin eodem actu aliud attingatur: sed *objectum* conclusionis propriam, & distinctam habet cognoscibilitatem à cognoscibilitate

te *objecti* præmiſſarum; ergò cognosci pot-
 eſt, quin *objectum* præmiſſarum eòdem actu
 attingatur. *M. patet*; ſic enim quia lux eſt
per ſe viſibilis, videri poteſt ſine colore, ut
 in ſole, & ſtellis. *min. verò prob.* Quod pro-
 priam, & diſtinctam habet veritatem, pro-
 priam etiam, & diſtinctam habet cognosci-
 bilitatem; hæc enim illam conſequitur:
 ſed *objectum* conſuſionis propriam habet,
 & diſtinctam veritatem à veritate *objecti*
 præmiſſarum; ergò propriam etiam, & di-
 ſtinctam habet cognoscibilitatem.

Reſp. 1. Neg. min. ad prob. Diſt. M.
 Quod propriam, & diſtinctam habet ve-
 ritatem *per ſe* notam, propriam etiam & di-
 ſtinctam habet cognoscibilitatem, *Conc.*
M. quod propriam, & diſtinctam habet ve-
 ritatem *ex alio* notam, propriam etiam &c.
Neg. M. Diſt. min. objectum conſuſionis
 propriam, & diſtinctam habet veritatem
per ſe notam, *Neg. min.* propriam, & diſtin-
 ctam habet veritatem *ex alio* notam, *Conc.*
min. & Neg. Conſequent. Veritas enim con-
 ſuſionis, cum *per ſe* nota non ſit, ſed ex
 præmiſſis, *per ſe* etiam, & abſque præmiſ-
 ſis non eſt cognoscibilis, nam & color eſt
 viſibilis, eſtque qualitas à luce diſtincta,
 nec tamen videri poteſt, quin ſimul lux
 videatur, quia *per ſe* viſibilis non eſt.

Reſp. 2. Tranſ. M. Diſt. min. objectum
 con-

conclusionis, *materialiter* sumptæ, & *ut simplex* veritas est, propriam, & distinctam habet cognoscibilitatem, *Conc. min. objectum* conclusionis, *formaliter* sumptæ, & *ut ex præmissis deducta* est, propriam, & distinctam habet cognoscibilitatem, *Neg. min. & sub eadem dist. Consequent.* Veritas igitur conclusionis absque præmissis cognosci quidem potest, non tamen *ut illata*, & deducta; sic enim intrinsecè præmissis connectitur, *ut patet ex suprâ dictis.*

SECTIO II. De Demonstratione.

Revenimus ad *Demonstrationem*, hoc est, nobilissimum Logicæ opus; & cui unico Scientiam discursivam, qualis videlicet ab hominibus parari potest, debemus: reliqua omnia Logicæ instrumenta huic serviunt, huic laborant; essentia enim rerum, quas definitio spectat, ignotæ homini, velatæq; sunt, nec in cognitionem cadunt, exceptâ hominis essentia: totus ergò intelligendi, sciendique labor est, ut effectus per alios effectus, vel per causas, has verò per effectus demonstre-
mus: hîc Logicus sistit, hîc cursui metam fi-

398 *Traſtat. III. De Tertia Ment. Operat.*
git, & labore ſuo, ac officio defunctus, nihil
habet præſtantius, quod agat. De qua ſit

Quæſtio I.

*Quid, & Quotuplex ſit Demon-
ſtratio?*

S U M M A R I A.

1. Definitur demonſtratio ex *Ariſtotele*, & ex-
ponitur. 2. Dividitur in demonſtrationem Propter
quid, & Quia. 3. Quare in definitione demonſtra-
tionis Quia dicatur: per effectum convertibilem?
4. Quid ſit Demonſtratio Propter quid? 5. & 6.
Quotuplex ſit propositio prima, & immediata, ſi-
ve per ſe nota? & quæ ſit hujus loci? 7. An den-
tur propositiones per ſe tantum, & non quoad nos
notæ?

R Eſol. 1. Benè definitur ab *Ariſtotele*
Demonſtratio: ſyllogiſmus faciens ſcire.

Dicitur 1. *Syllogiſmus*: Quia nulla præ-
ter ſyllogiſmum argumentatio certò, & evi-
denter applicat medium, & motivum ſci-
endi; & omnis argumentatio fallibilis eſt:
& ſi enthymema facit aliquando ſcire, id
eſt, quia vel formaliter, vel virtualiter ad-
ditur illi tertia propositio, & ita in verum
ſyllogiſmum evadit.

Dicitur 2. *Faciens ſcire*: Facit enim de-
mon-

monstratio scire *tum* efficienter, quia præmissæ efficiunt conclusionem: atqui hæc, si demonstrata sit, est scientia: *tum* formaliter, quia *demonstratio* includit formaliter suas partes; ergo & conclusionem (quæ est pars syllogismi) ergo & scientiam actua-
lem, quæ nihil aliud est, quàm conclusio demonstrata. Scire autem (intellige perfectè) est cognoscere causam, propter quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, ut res aliter se habeat. Si ergo quis cognoscat, pisces carere pulmonibus, & non respirare, nesciat verò, pulmones esse causam respirationis, non potest dici habere scientiam perfectam; quia cognoscit quidem causam, & cognoscit effectum, sed non cognoscit necessariam utriusque connexionem.

2. Resol. 2. *Demonstratio* alia dicitur *Propter quid*, sive à *Priori*, & alia dicitur *Quia*, sive à *Posteriori*.

Demonstratio Quia, sive à *Posteriori* est, in qua res demonstratur per effectum convertibilem, & propriam passionem: ut si probes, Petrum esse hominem, quia est risibilis; hæc enim *demonstratio* ex una parte est certa, & evidens, quia per medium certum, & necessario connexum cum prædicato, & consequente: non tamen est *demonstratio propter quid*, quia non tradit,

nec ostendit radicem, verumque principium, propter quod Petrus est risibilis; erit ergò demonstratio quia.

¶ Dixi in definitione: per effectum convertibilem; si enim demonstratio fiat per causam remotam, licet cum consequenti convertibilem, probabilius est, esse propter quid, licet non perfectissimam: v. g. est homo; ergò est risibilis; quia non tantum demonstratur, quòd est, sed etiam propter quid: si verò demonstratio fiat per causam remotam, non tamen convertibilem, nec erit demonstratio propter quid, nec quia, sed pertinebit ad illas demonstrationes, & syllogismos, quos dicticos appellant, talis est iste: omne quod respirat, est animal: lapis non est animal; ergò lapis non respirat: hìc negatio animalitatis infert negationem respirationis, & tamen animal, & respirans non sunt termini convertibiles. Unde demonstratio propter quid, & quia syllogismi apodictici vocantur, reliqui verò syllogismi, qui ex necessariis quidem concludunt, sed neque per effectum, neque per causam convertibiles dantur, dictici. Tales dictica argumentationes sunt

I. Cùm à genere ad speciem negativè argumentamur: v. g. non est planta; ergò non est cedrus: cùm tamen cedrus, & planta non sint termini convertibiles.

2. Cùm

2. Cum à specie ad genus: v. g. est homo; ergo est animal.

3. A toto ad partes necessarias: v. g. est domus; ergo habet fundamentum; est homo; ergo habet animam rationalem.

4. A quarto modo dicendi per se: v. g. jugulatus est; ergo interiit.

5. Huc pertinent argumentationes multæ, quibus accidens commune de subiecto probatur: v. g. nebulae in æstate sunt; ergo grando sequetur: mater est; ergo filium magis amat, quam pater &c. quantumvis enim hæ consequentiæ sint contingentes, plerumque tamen evenire solent, & est necessaria conexio inter antecedens, & consequens, non semper quidem quoad actum (qui licet necessarius, impediri tamen à causa fortiori potest) sed quoad habitum, seu connaturalem inclinationem, & impetum causarum, & ut sic datur de hujusmodi contingentibus scientia, v. g. in allato exemplo ideò mater, cæteris paribus, & si nihil obftet, magis filium, quam pater diligit; quia magis diligimus, quæ certò sunt nostra, quam de quibus dubitamus: sed sola mater est certa sui filij; rursus: chariora sunt, quæ majori pretio nobis constant, & quibus maximè assuevimus, & quò pauciora sunt, quæ amantis animum in alia distrahunt: sed filius carius matri

conſtat, quàm patri, & diutiùs illi mater aſſuevit, & vix aliæ ſunt matribus curæ, quàm liberorum, patribus in tot negotia diſtentiſ; ac tandem fœminarum amor plerùmque conſtantior, quia, cùm naturæ ſint frigidæ, ſemel concepta tenaciùs retinent, ubi ex aduerſo calor diſſipat, diſſolvitque.

- 4 Demonſtratio Propter quid, ſive à Priori eſt, in qua effectus demonſtratur per cauſam vel *realem*, vel *virtualem*: ut ſi demonſtres exiſtentiam lucis per ſolem, aut æternitatem Dei per ejus immutabilitatem. Hæc *demonſtratio* benè ab Ariſtotele definitur: *Syllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis.*

- 5 Dicuntur propoſitiones *primæ*, & *immediatæ*, quæ ſunt *per ſe notæ*, nec habent medium, per quod probentur. Eſt verò propoſitio *per ſe nota*, aut *per ſe nota tantum*, aut *per ſe, & quoad nos ſimul*, aut *quoad nos tantum nota*. Propoſitio *per ſe nota tantum* eſt, quando prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, v.g. *Deus eſt*; aut *immediatè* ad eſſentiam ſubjecti conſequitur, hæc tamen *immediata* connexio nobis nota non eſt, niſi per aliud medium, v.g. *omnis homo eſt diſcurſivus*; ſicut enim aliqua ſunt *per ſe viſibilia*, nec tamen à nobis, niſi per aliud vide-

videri possunt, ut vera stellarum magnitudo &c. sic etiam propositio, in qua prima passio de subiecto prædicatur, est *per se nota tantum*, non *quoad nos*; quia cognosci potest per aliquid, quod inter subiectum, primamque passionem mediat, videlicet per definitionem subiecti. Propositio per se, & quoad nos simul nota est, cuius prædicatum, & subiectum non solum habet immediatam connexionem, sed ipsa etiam nota est nobis, & quidem aut omnibus, ut prima principia; aut sapientibus tantum, v.g. hæc: *omne rationale est discursivum*; & hæc: *omnis substantia immaterialis est incorruptibilis*. Propositio per se nota quoad nos tantum est, cuius prædicatum habet quidem medium, quod de subiecto demonstrari possit; quia tamen experientiâ constat, tali medio non indiget, ut v.g. hæc: *omnis nix est alba*; habet enim reverâ medium, temperamentum scilicet certarum qualitatum cum prædominio lucis; quia tamen sensibus est notissima, hoc medio non indiget, ut cognoscatur.

- 6 In præsentî intelligimus propositionem *per se tantum* notam, & immediatam, & quidem in propositionibus *affirmativis* illæ sunt *per se tantum* notæ, in quibus essentia, aut partes essentiæ, aut prima passio de subiecto prædicantur: in propositionibus
verò

verò *negativis* illæ ſunt immediatæ, & *per ſe tantum* notæ, in quibus non poteſt dari *negativa* magis immediata, & quæ ſit velut ratio primæ negationis, v. g. hæc non eſt propoſitio immediata: *leo non eſt riſibilis*; quia poteſt per hanc probari: *leo non eſt rationalis*; ſicut enim rationalitas eſt cauſa riſibilitatis, ita non rationalitas eſt cauſa non riſibilitatis: hæc verò eſt immediata: *leo non eſt rationalis*; quia hæc negatio eſt immediatè, etiam omnibus aliis ſublatis, annexa eſſentiæ leonis, nec negat aliquam proprietatem, ſed differentiam eſſentialem.

- 7 Negant quidem Scotus, & communiter Scotiſtæ, dari propoſitiones *per ſe notas ſecundum ſe tantum*, & non *quoad nos*; quia, inquiunt, propoſitio eſt cognitio, & conceptus noſter: conceptus autem, ſi eſt *per ſe* notus, ſemper eſt notus nobis, cùm ſit notitia noſtra, & in nobis, ſicut albedo v. g. ſi eſt dealbativa *per ſe*, eſt ſubjecti ſui dealbativa, quia in ſuo ſubjecto eſt, eiſque ſuum effectum formalem tribuit.

Aſſignat tamen S. Thomas 1. p. q. 2. a. 1. & q. 10. de verit. a. 12. & 1. cont. Gent. c. 11.

Ratio eſt; Quia propoſitio *per ſe* nota eſt, quæ medio caret, quò demonſtretur: ſed

sed propositionem talem esse, ut demonstrari non possit, non convenit propositioni, ut vocibus, aut conceptibus constet, sed ex ipsa connexione rerum significatarum; ergo esse *per se* notum, hoc est, prædicatum *immediate* subjecto connecti, prius *objectiva*, quam *formali*, aut *vocali* convenit.

Confirmatur: Illud propriè dicitur *per se* notum, cui propriè competit cognosci: sed cognosci *principaliter* competit rebus, *secundariò* tantum propositionibus ratione rerum; à veritate enim rerum derivatur veritas propositionis *formalis*, & ideò propositio vera est, aut falsa, quia res est, vel non est; ergo &c.

Ex his patet *Resp. ad Rationem Scoti*, & Scotistarum; nec enim est novum, propositiones, sicut etiam definitiones, & præmissas in *formales*, & *objectivas* dividi: & quamvis termini non significant hanc immediatam connexionem (v.g. in hac propositione: *omnis homo est discursivus*, immediata connexio prædicati cum subjecto vi terminorum non explicatur, imò *secundum nos* datur medium, videlicet definitio subjecti, hoc modo: *omne animal rationale est discursivum*) sufficit rem ipsam, & veritatem *objectivam* ita constitutam esse, ut possit terminis substare, qui hanc immediata-
tam

tam connexionem significant, dicendo
v.g. omnis homo à parte rei est immediatè dis-
curſivus, ita, ut nulla causa mediet inter ho-
 minem, & discursivum. Reliquæ definitio-
 nis particulæ ex jam dicendis patebunt.

Quæſtio II.

*Quæ conditiones requirantur ad
 Demonſtrationem Propter
 quid?*

S U M M A R I A.

1. *Præmittitur ſtatus Quæſtionis.* 2. *Statuun-*
tur, & probantur conditiones requiſitæ ad demon-
ſtrationem Propter quid. 3. 4. 5. & 6. *Solvuntur*
objectiones.

I *Prænotand.* Quia *demonſtratio propter*
quid perfectiſſima eſt *demonſtrationis*
ſpecies, generatque ſcientiam modo quô-
 dam perfectiſſimo, oritur Quæſtio, an ea,
 præter legitimam terminorum, ac propo-
 ſitionum in debito modo, & figura fa-
 ctam diſpoſitionem, in Summulis tradi-
 tam, ſingulas ſuprà ex Ariſtotele allatæ
 definitionis particulas, ac totidem condi-
 tiones, ad illam neceſſariò requiſitas, eſſen-
 tialiter includat?

Reſol.

2. *Resol. Demonstratio propter quid constare debet ex præmissis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis, ac totidem conditionibus, necessario ad illam requisitis.*

Ratio est ab inductione; Nam 1. constare debet *ex veris*: quia præmissæ falsæ non sunt ratio, ut conclusioni assentiari; quamvis enim ex falso verum deduci possit vi formæ, & datis præmissis, non tamen scientificè; cùm falsum non sit causa veri, nec convincat intellectum, nec det certitudinem; & falso ut tali nunquam assentitur intellectus: quòd si falso aliquando assentimur, ideò est, quia falsum est vero simile, & probabile, & apparet verum.

2. Constare debet *ex primis, & immediatis*, ita, ut per illas aliæ propositiones tanquam à priori probari possint, ipsæ verò per alias propositiones, & media à priori tanquam per causas demonstrari amplius non possint; si enim præmissæ non careant medio, sed sint verè demonstrabiles, non poteris perfectam earum habere notitiam, nisi factâ priùs illarum demonstratione per medium. Quod tamen non sic intellige, quasi omnis *demonstratio* constare debeat ex propositionibus *per se formaliter* notis, & indemonstrabilibus, sed quòd
tan-

tandem reſolvatur in propoſitiones *per ſe* notas, & quæ alibi demonſtrantur.

3. *Ex prioribus*: quia priùs cauſa, quàm effectus, præmiſſæ, quàm conſuſio cognoſcuntur.

4. *Ex notioribus*: *tum* quia priùs præmiſſæ ſunt notæ, quàm conſuſio; ducunt enim in notitiam conſuſionis: *tum* quia præmiſſæ ſunt *per ſe* notæ, conſuſio verò per præmiſſas; ergò præmiſſæ plus habent luminis, & cognoscibilitatis, quàm conſuſio: *tum* quia præmiſſæ ſunt cauſa cognoscendi conſuſionem, & cauſa ſecundùm *ſe notior* eſt ſuo effectû; cauſa enim ut cauſa & ipſa eſt cognoscibilis, & eſt ratio cognoscendi effectum, quem *virtualiter* continet, maximè, quia præmiſſæ ſunt cauſa æquivoca (quæ ſemper effectû ſuo *notior* eſt) conſuſionis; aut enim ſunt principia *per ſe* nota, & pertinentia ad habitum intellectûs, & ita ſpecie diſtinguuntur à conſuſione, quæ eſt diſcuſſiva, & actus ſcientiæ; aut ſunt principia demonſtrata, & ſic habentur per media, & motiva diſverſa, quàm ſit motivum conſuſionis deductæ; *tum* denique, quia notitia conſuſionis pendet in fieri, & conſervari à notitia præmiſſarum &c. Hæc omnia probant, præmiſſas eſſe *notiores*, ſaltem *perfectione*, ſi non *intentione*.

5. *Causisque conclusionis.* Intellige, præmissas non semper continere causas *physicas* conclusionis, sufficit, si *metaphysicas*, & *virtuales*: sic in Deo unum attributum probatur ex alio, v. g. æternitas ex immutabilitate; hæc enim est ratio, cur Deus sit æternus &c. & de ente demonstramus, esse verum, & bonum, quia est cognoscibile, & appetibile, quamvis cognoscibilitas, & appetibilitas entis non distinguatur ab ente. De hac *conditione* plura sequenti *Seçtione*.

- 3 Objic. I. *Cont. 4. Condit.* Si præmissæ sunt *notiores* conclusioni, ideò est, quia propter quod unumquodque tale, illud magis tale: sed hoc axioma mille patitur instantias; nam ferrum candens v. g. est calidum ut octo propter ignem, & tamen non est calidior ignis; ergò præmissæ non sunt *notiores* conclusioni.

Resp. *Conc. M. Neg. min.* Illud enim axioma, certis conditionibus adhibitis, verissimum est, quæ videri possunt apud D. Thomam 1. p. q. 87. a. 2. ad 3. & q. 1. de verit. a. 1. ad 5. & q. 10. a. 9. ad 3. Ad exemplum verò de ferro candente, & calido ut octo dico: adhuc ignem esse magis calidum, non quidem *intensione* (nec enim datur gradus supra octavum) sed *perfectione*; quia calor igni per se, & semper, ac connaturaliter *convenit*.

Tt

Objic.

4 *Objic. 2.* Causa æquivoca instrumentalis non est suo effectu *notior*, ut patet in calore respectu ignis, semine respectu plantæ &c. sed præmissæ sunt causæ conclusionis instrumentales; ergò non sunt *notiores* conclusionem.

Resp. Neg. min. Quia præmissæ sunt causæ conclusionis principales; conclusio enim ut scientifica, discursiva, & demonstrata, hoc est, deducta unicè pendet à præmissis, nec enim aliunde deducitur, aut demonstratur.

5 *Objic. 3.* Quò effectus habet plures causas æquè perfectas, eò perfectior est: sed conclusio habet plures causas æquè perfectas suæ notitiæ, ac evidentiae, quàm præmissæ; ergò conclusio perfectior, sive *notior*, ac evidentior est, quàm præmissæ.
M. patet. min. prob. Quia notitia præmissarum est à solo lumine intellectûs, notitia verò conclusionis est & à lumine intellectûs, & à præmissis, & à discursu; ergò conclusio plures habet causas æquè perfectas suæ notitiæ, ac evidentiae, quàm præmissæ; si ergò ad illustrandam, & notificandam conclusionem plura lumina concurrunt, ergò conclusio est præmissis *notior*.

Confirmatur 1. In syllogismo, in quo una præmissarum est de fide, altera scienti-

tifica, conclusio est singulis præmissis *notior*; est enim certior medio purè scientifico, & evidentior medio purè fidei; ergò &c.

Confirmatur 2. Potest contingere, ut intellectus se magis applicet ad cognoscendam conclusionem, quàm præmissas; ergò in eo casu conclusio haud dubiè erit *notior*, quàm præmissæ.

Resp. *Conc. M. Neg. min. ad prob. Dist. 2. membr. Ant.* notitia conclusionis est & à lumine intellectûs, & à præmissis &c. *immediatè*, & *proximè*, *Neg. Ant.* est & à lumine intellectûs, & à præmissis &c. *mediatè solum*, & *remotè*, *Conc. Ant. & Neg. Consequent.* Præmissæ enim *immediatè*, & *proximè* illuminantur à lumine intellectûs, & in se sunt cognoscibiles: conclusio verò non nisi *mediatè*, & *remotè* per præmissas, quæ totam suam lucem, & cognoscibilitatem in conclusionem derivare non possunt; quia cognoscibilitas, & veritas conclusionis est deducta, & illata; ergò est *remotior*, quàm veritas, & cognoscibilitas principiorum, quæ *immediatè*, & *proximè*, ut dixi, in se sunt cognoscibilia: atqui objectum, quò *remotius* est à principio illuminante, eò minùs illuminatur, ut patet in objecto colorato, quod adeò potest à corpore luminoso distare, ut tandem pa-

rùm, aut nihil luminis accipiat, ac omnino diſpareat. Idem dicas de concluſione; poteſt enim fieri, ut concluſio tam remotè, & poſt tot ambages, & præmiſſas cum primis principiis connectatur, ut tandem licèt certitudinem habeat, ea tamen nobis non appareat. Exemplum ſit in hac argumentatione: *homo bibit, & comedit; ergò homo naturaliter moritur*: certitudo, & connectio hujus conſequentiæ vix appareat; quia hoc conſequens nimis remotè illi antecedenti neſcitur, & tamen neceſſariò ſequitur, ut patebit, ſi omnes præmiſſas applices, hoc modo: *qui bibit, & comedit, alimentum, & potum intra ſe ſumit; ergò & qualitates alimenti; ergò & humidum, & calidum, & alias qualitates extrinſecas; ergò iſta, utpotè contrariæ, pugnabunt cum humido, & calido radicali, & innato; ergò iſtud alterabunt; ergò aliquando corrumpent; ergò & mortem afferent* (eſt enim mors extinctio caloris naturalis) *ergò de primo ad ultimum, qui comedit, & bibit, moritur; ergò benè ſequitur: homo bibit, & comedit; ergò homo naturaliter moritur.* Ex quo patet, quòd, etſi concluſio ex cauſis remotis neceſſariò ſequatur, non tamen hæc connectio, & neceſſitas ex remotis ſemper appareat.

Ad Confirmat. i. *Trans. Ant. Neg. Conſeq.* Quia negari ſaltem non poteſt, conclu-

clusionem esse præmissis, *copulativè* sumptis, ignotiorem: imò & *singulis*; conclusio enim in tantum est conclusio, in quantum deducitur, & pendet à præmissis: in exemplo autem allato, quando una præmissarum est fidei, altera scientifica, conclusio pendet tantum quoad certitudinem à præmissa scientifica, & ut sic est incertior, quàm sit præmissa, & assensus fidei; hic enim est absolutè certus, nec ejus certitudo ab ullo impeditur: at certitudo conclusionis impeditur ab altera præmissa naturali; hæc enim temperat, & restringit præmissam fidei, quò minùs totam suam certitudinem conclusioni communicet, & ideò conclusio semper sequitur debiliorem partem.

Ad Confirmat. 2. Dico: in eo casu, quò intellectus se magis applicat ad cognoscendam conclusionem, quàm præmissas, conclusionem esse *notiorem* præmissis *accidentaliter* tantum, & *intensivè*, non *essentialiter*.

- 6 Objic. 4. Præmissæ non sunt veriores conclusione; ergò nec *notiores*. *Ant. patet*; quia veritas non admittit magis, & minùs, sed consistit in indivisibili. *Conseq. prob.* Veritas rei est ipsa cognoscibilitas rei; ergò, si veritas non admittit magis, & minùs, nec cognoscibilitas admittet.

Resp. Conc. Ant. Neg. Consequent. ad prob.

Diſt. Ant. Veritas rei eſt ipſa cognoscibi-
 litas rei *objectiva* tantum, *Neg. Ant.* eſt ipſa
 cognoscibilitas rei etiam *formalis*, *Conc.*
Ant. & Neg. Conſeq. Quia licet veritas non
 admittat magis, & minus, ſed conſiſtat in
 indiviſibili; poteſt tamen una veritas eſſe
 notior alterâ, quia rem eſſe notam non
 pendet ex ſola rei cognoscibilitate *objecti-
 va* (ſunt enim aliqua in ſe maximè vera,
 & cognoscibilia, nobis tamen ignota) ſed
 etiam ex cognoscibilitate *formali*, hoc eſt,
 ex perſpicacia, & lumine intellectu-
 ali, ex majori hujus applicatione, ex pluribus ho-
 minibus rem manifeſtantibus; non ergò
 rei cognoscibilitas conſiſtit in indiviſibili.
Deinde, poteſt una veritas eſſe certior, ſta-
 bilior, immutabilior alterâ, & immedia-
 tior, in quo ſolum ſenſu dicimus, præ-
 miſſas eſſe *notiores* conſuſione.

Quæſtio III.

*An Præmiſſe Demonſtrationis
 Propter quid etiam debeant eſſe
 de omni, per ſe, de prædica-
 to univerſali &c.*

S U M M A R I A.

1. Quid ſit Prædicatum de omni, & quotuplex?
2. Quid

2. Quid sit prædicatum per se, & quot sint per se-
ratis modi? 3. Quid sit prædicatum universale, &
quæ ad illud requirantur? 4. Quot, & quæ sint
principia, ex quibus argumentari intellectus potest?
5. & 6. Ostenditur, præmissas demonstrationis con-
stare debere ex prædicatis de omni, per se, & uni-
versali. 7. Ad demonstrationem sufficit, si una præ-
missarum sit de prædicato universali. 8. Procedere
necessariò debet ex principiis propriis, & proximis,
non verò alienis, & communibus, sive remotis. 9.
Limitatur tamen, si causa remota sit convertibilis
cum suo effectu.

I PRÆNOTAND. 1. Prædicatum de omni esse,
quod in aliqua propositione dicitur de
omnibus inferioribus, contentis sub una
ratione communi. Aliud est prioristicum,
quod pertinet ad formam syllogismi: aliud
posterioristicum, quod pertinet ad materiam
veræ demonstrationis. Prædicatum de omni
prioristicum est, quod afficitur signo uni-
versali, sive jam verè, sive falso, sive ne-
cessariò, sive contingenter subjecto com-
petat, hæc enim forma syllogistica non cu-
rat; tales sunt istæ propositiones: omnis
homo vigilat: omnis homo canescit: omnis plan-
ta est lapis &c. Prædicatum de omni poste-
rioristicum est, quod subjecto, & omni-
bus ejus inferioribus inest vel absolutè, &
simpliciter, ut in hac: homo est animal; vel
non quidem semper, sed statutis tantum tem-

poribus, *necessariò* tamen, ùt in hac: *sol eclipsatur; vel plerumq; & ex naturali impetu, & ordine, nisi impedimentum accedat, ùt in his: æstate sunt tempestates: arbores florent: homo canescit; vel denique, non quidem positivè, sed tamen negativè, ùt in hac: Deus est æternus; quamvis enim æternitas non conveniat pluribus sub Deo inferioribus, quia Deus unicus est, & plures repugnant, æternitas tamen secundùm se tale est prædicatum, ut, si plures Dij essent possibiles, illa omnibus, & necessariò, & semper competeret. Sunt, qui eòdem modo dicant, has propositiones: Petrus est homo: Petrus est risibilis: hæc nix est alba, esse de omni posterioristico, æq; ac istam: Deus est æternus; quia subiecto semper, & necessariò hoc prædicatum convenit, & hujusmodi propositiones inserviunt syllogismo demonstrativo in Darrij, Ferio &c. sed verius est, non esse de omni; quia in hac propositione: Petrus est homo, prædicatum non convenit subiecto ex gradu individuali, sed specifico, & ideo de individuis ùt sic non datur scientia, nec demonstratio.*

- 2 Prænotand. 2. Prædicatum *per se* in genere id dici, quod ratione sui, & non alterius convenit subiecto. Quatuor autem modis dicitur aliquod prædicatum *per se*. Primò, quando prædicatum essentialiter de sub-

subiecto dicitur: *ut homo est animal: homo est rationalis &c.* Propositiones *indirectæ*, v.g. *animal est homo, vel* revocantur ad hunc primum dicendi modum; quia unum extremum pertinet ad essentiam alterius *identice*: vel pertinent ad propositiones *per accidens*, & contingentes; contingit enim animali *ut sic* esse hominem. *Secundo*, quando prædicatum est propria passio subiecti; v.g. *homo est risibilis*; passio enim aliquo modo pertinet ad essentiam subiecti, quia per proprium subiectum definitur. Huc etiam revocantur propositiones, in quibus subiectum de proprietate prædicatur, v.g. *risibile est homo*; quia prædicatum pertinet *in obliquo* ad essentiam subiecti. Quando correlativum prædicatur de altero correlativo *in obliquo*, v.g. *Pater est filij pater*, alij dicunt, pertinere ad primum, alij ad secundum hunc modum dicendi *per se*; quia terminus ponitur *in obliquo* in definitione relativi, non *in recto*. Hæc etiam propositio: *animal est rationale, vel irrationale*: & hæc: *omnis numerus est par, vel impar*, spectant ad hunc modum; quia hoc disjunctivum est proprietas animalis, & numeri. *Tertio*, quando prædicatum est substantia prima, *ut Petrus, Paulus &c.* dicuntur verò substantiæ primæ esse *per se*; quia in nullo subiecto existunt: unde secundæ substan-

tiæ, quia sunt in primis, & accidentia, quia sunt in subiecto, huc non pertinent. *Quartò*, quando subiectum est causa *per se* prædicati, non verò *per accidens*, ut in hisce propositionibus: *ædificator ædificat: medicus medetur: sol illuminat: ignis calefacit &c.* hæc verò: *medicus cantat*, non est *per se* quarto modo, sed *per accidens &c.* Hic quartus tamen modus non pertinet ad modum *essendi*, sicut tres priores, sed ad modum *causandi*.

- 3 *Prænotand. 3.* Prædicatum universale hoc loco vocari, quod posito subiecto ponitur, & eò ablato aufertur: v. g. *homo est risibilis: homo est rationalis: triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis &c.* Requiritur ergò ad prædicatum universale primò, ut sit *de omni*: & ideò hæc non est de prædicato universali: *animal est risibile. Secundo*, *per se*, & non *contingenter*: & ideò hæc non est de universali: *nix est alba*; quia sublato subiecto non ideò etiam prædicatum aufertur. *Tertiò*, quòd conveniat subiecto quà tali, & convertibiliter, quales non sunt istæ: *homo est animal: numerus est par &c.* Hæc etiam propositio: *omnis lapis est coloratus*, non est de prædicato universali; quia non convenit lapidi quà tali esse coloratum, sed quà mixto, & prædicatum non convertitur cum subiecto.

Præ-

4 Prænotand. 4. Principia, ex quibus intellectus argumentari potest, alia esse propria, & alia extranea, alia proxima, & alia communia, seu remota. Propria vocantur, quæ *intrinsecam* connexionem habent cum majori, & minori extremo: Extranea verò, seu aliena, quæ non habent *intrinsecam* connexionem cum majori, & minori extremo: talia principia extranea sunt ferè omnia, quæ Logica Topica aliis scientiis subministrat, à similitudine, ab exemplo, à conjugatis, ab authoritate &c. Principia proxima sunt, quæ habent *immediatam* connexionem cum majori, & minori extremo: Communia verò, seu remota, quæ *mediatam* solum connexionem habent cum majori, & minori extremo. His prænotatis, quæritur, an præter hæcenus explicatas conditiones oporteat, ut præmissæ demonstrationis propter quid etiam sint de omni, per se, de prædicato universali, non de communibus, nec extraneis, sed de proximis, & propriis? ut docet Aristoteles lib. 1. Poster. c. 4. & seqq.

5 Resol. 1. Oportet, ut præmissæ demonstrationis propter quid sint de omni, & per se.

Ratio utriusque Partis est; Quia præmissæ demonstrationis sunt necessariae; ergò vel prædicant essentiam, vel proprietates? si essentiam? pertinent ad primum modum dicen-

dicendi *per ſe*: ſi proprietates? pertinent ad *ſecundum*: & conſequenter ſunt etiam de *omni*; eſſentia enim, & proprietas omnibus, ac ſemper conveniunt.

- 6 *Reſol. 2. Præmiſſæ demonſtrationis propter quid debent etiam eſſe de prædicato univerſali.*

Ratio eſt; Quia præmiſſæ demonſtrativæ generant ſcientiam: ſed ſcientia eſt de prædicato *univerſali*; ergò & præmiſſæ demonſtrativæ debent eſſe de prædicato *univerſali*. Ubi tamen

- 7 *Adverte: Sufficere ad demonſtrationem, ſi una præmiſſarum ſit de prædicato univerſali: demonſtratio tamen, in qua utrâque præmiſſarum eſt de prædicato univerſali, eſt notior, & perfectior illâ, in qua una tantum, ut patet in hiſce duobus ſyllogiſmis: omne admirativum eſt riſibile: omnis homo eſt admirativus; ergò omnis homo eſt riſibilis; &: omne admirativum eſt riſibile: Petrus eſt admirativus; ergò Petrus eſt riſibilis. Prima, inquam, demonſtratio perfectior eſt ſecundâ; tum quia univerſalior: tum quia ex magis connexis, & neceſſariis; præmiſſæ enim dicunt mutuam prædicati, & ſubjecti connexionem: tum quia concluditur paſſio de proprio, & adæquato ſubjecto: quanto autem ſcientia eſt univerſalior, & de rebus magis neceſſariis, tanto eſt perfectior.*

Reſol.

8 Resol. 3. *Demonstratio propter quid* procedere debet ex principiis propriis, & proximis, non verò alienis, & communibus, seu remotis.

Ratio 1. *Partis* est; Quia, ut *demonstratio* sit vera, & scientifica, debent extrema conclusionis certam, & necessariam habere connexionem inter se: sed, si *demonstratio* non procedat ex principiis propriis, sed alienis, seu extraneis, extrema conclusionis non habent certam, & necessariam connexionem inter se; tota enim certitudo, & necessitas conclusionis oritur ex necessitate, & connexionem, quam extrema habent cum medio: si autem *demonstratio* non procedat ex principiis propriis, extrema conclusionis non habent certam, & necessariam connexionem cum medio; ergò nec habent inter se. Non probatur ergò hæc argumentatio: *experientia docet, animal semper nutrir, & excernere, non autem semper augeri; ergò animal semper nutritur, non autem semper crescit*: in hac argumentatione experientia est medium concludendi, sed extraneum: quia non habet *intrinsecam* connexionem cum nutritione; corrigi ergò debet in hunc modum: *animal non semper indiget ad functiones vitales augmento (imò potius impediretur, si semper, & extra terminos cresceret) indiget verò nutritione; ergò semper nutritur,*

non

non semper crescit. En argumentationem à causa finali, ad quam quilibet effectus necessario, & intrinsecè respicit!

Non obstat tamen, quò minùs una scientia alteri scientiæ, præsertim subalternatæ, principia subministret, ut patet in hac argumentatione: *in figura rotunda partes omnes à centro longissimè distant; ergò vulnus rotundum difficiliùs curatur:* antecedens ex Mathematica petitur, consequens ex Chirurgia, & tamen illud antecedens connectitur consequenti; quia, quidquid dicitur de figura rotunda, dicitur de omni, quod eam figuram participat; veritas tamen illius antecedentis est objectum Matheseos, & in ista demonstratur: & veritas consequentis non demonstratur à Chirurgo quà tali, sed supponitur ut *per se* nota notitiâ experimentalì.

Ratio 2. *Partis* est; Quia, ut conclusio sit demonstrativa, & scientifica, debet non solum necessario, sed etiam evidenter sequi ex præmissis: sed, si demonstratio non procedat ex principiis proximis, sed communibus tantum, seu remotis, conclusio evidenter non sequitur ex præmissis; etsi enim conclusio etiam ex principiis, & causis remotis necessario sequatur, non tamen hæc connexio, & necessitas semper apparet: exemplum est in illa argumentatione suprà allata: *homo bibit, & comedit; ergò homo naturaliter moritur &c.* Ubi tamen

Ad-

- 9 Adverte: Quòd causa remota aliquando sit convertibilis, v. g. homo est rationalis; ergò est risibilis, cùm tamen causa immediata risibilitatis non sit rationalitas, sed esse admirativum: & hujusmodi causa remota, sed convertibilis potest demonstrationi deservire, quamvis non perfectissimæ; quantò enim magis conclusio, & veritas deducta à sua radice, & principio recedit, tantò minùs illuminatur, & intellectui apparet. Quandòque verò causa remota non est convertibilis cum suo effectù, & ista non deservit demonstrationi, v. g. lapis non est animal; ergò non respirat: hìc non negatur causa proxima respirationis, quæ sunt pulmones, sed remota, & non convertibilis; nec enim valet: est animal; ergò respirat, cùm dentur animalia, quæ pulmones non habent, & ideò non respirant.

Quæstio IV.

Quæ sint Media Demonstrationis Propriè quid? Et quot ad illam necessaria sint Præcognitiones, Et Præcognita?

SUM-

S U M M A R I A.

1. & 2. *Prænotatur status Quæstionis quoad utramque partem.* 3. *Media demonstrationis Propter quid sunt omnia quatuor causarum genera.* 4. *Causa tamen finalis, & efficiens non sunt media perfectissima demonstrationis.* 5. *Etiam definitio est medium demonstrationis.* 6. *Ad demonstrationem duæ requiruntur præcognitiones, & tria præcognita.* 7. *Quid de singulis præcognitis prænosci oporteat?*

1 **P**RÆnotand. 1. Cùm demonstratio propter quid, ut generet scientiam, necessario procedere debeat ex præmissis, quæ sint causæ conclusionis, adeoque media demonstrationis sint aliquæ ex quatuor causis: hinc quæritur, quænam illæ sint? an omnes? an aliquæ duntaxat? & cùm definitio explicet naturam, & essentiam rei, an etiam hæc inter media demonstrationis propter quid reponi possit, ac debeat? Hæc pro prima Quæstionis parte, pro altera

2 **P**RÆnotand. 2. Ut cognoscantur prima principia, non prærequiri aliam notitiam, quàm sensuum, & experimentalem, quâ quis terminos intelligat, & res terminis expressas; v.g. ut hanc propositionem intelligas: *omne totum est majus suâ parte*, sufficit intelligere, quid sit totum? quid partes? & hoc experientia, & sensus docent; quotidie enim videmus partes, & totum

ex partibus conflatum: ad *demonstrationem* verò aliqua alia præcognosci oportet; cum enim *demonstratio* sit notitia intellectiva, & quidem non qualiscunq; sed discursiva, necessariò quoque ex præexistente rei cognitione fieri debet: ubi res, quæ prænosci-
tur, *præcognita*, seu prius cognita, ipsa verò notitia rei *præcognitio* vocatur. Quæritur proinde, quot, & quæ potissimum ante *demonstrationem* præcognosci oporteat? quot item, & quæ de his, quæ præcognoscenda sunt, *præcognitiones* haberi debeant?

3 Resol. I. *Media demonstrationis propter quid* sunt omnia quatuor causarum genera.

Ratio patet ab inductione, & quidem

I. De causa materiali in hoc syllogismo:

omne compositum ex materia sublunari est cor-

ruptibile: omnis homo est compositus ex materia

sublunari; ergò omnis homo est corruptibilis: ubi

materia est ratio concludendi, & est cau-

sa utriusque extremi, quod semper contin-

git, quando connexio prædicati, & sub-

jecti in conclusione est connexio essentia-

lis, & identica, & ab extremis indistincta.

Pertinet verò ad causam *materialem* non so-

lùm materia prima respectu totius compo-

siti, & formarum, quas sustentat (quam

vocamus materiam intrinsecam) sed etiam

subjectum respectu accidentis, vel proprie-

tatis: potentia respectu sui actûs, quem

recipit &c.

Uu

2. De

2. De causa formali in hoc syllogismo :
*omne rationale est homo : Petrus est rationalis ;
 ergo Petrus est homo.* Pertinent verò ad formam *intrinsecam* tam forma *physica*, quàm *metaphysica*, ut differentiæ : ad formam *extrinsecam* autè pertinent actus respectu potentiae, accidentia respectu subjecti, idea, objectum &c. objectum enim, cum specificet, & ita essentiam spectet, potius ad causam *formalem*, quàm *finalem* pertinet ; *finalis* enim, & *effectiva* potius existentiam, quàm essentiam tangunt.

3. De causa effectiva in hoc syllogismo :
omne corpus grave naturaliter ad suum centrum deorsum movetur : omnis aqua est gravis ; ergo naturaliter deorsum movetur.

4. De causa finali in hoc : *omne creatura ad immortalem vitam est immortale : omnis anima est creata ad immortalem vitam ; ergo omnis anima est immortalis.*

4. Adverte tamen : Causam *finalem* non esse medium perfectissimæ demonstrationis ; quamvis enim inferat certam conclusionem propter evidentem, & certam connexionem, ac proportionem rei cum suo fine *intrinseco* (implicat enim, rem ordinari *intrinsece* ad finem, tamen finis incapacem esse ; ordinari enim ad finem, est posse consequi finem) quia tamen finis est causa *extrinseca*, manifestat quidem, rem ita esse,

esse, sed non rationem, & modum, quod est, & ideo nec intellectum, nec sciendi appetitum explet: & idem dicas de causa efficiente, nam & ipsa est extrinseca.

5 Resol. 2. Etiam definitio est aptum medium demonstrandi, & subinde quidem definitio subjecti, maxime, quando prima passio de illo demonstratur; tunc enim definitio est immediata ejus radix: v.g. *omne animal rationale est admirativum: omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est admirativus*: subinde verò definitio passionis demonstrandæ: v.g. *omnis substantia facultate vitali prædita, versante circa verum quæ tale, est intellectiva: omnis homo est talis substantia; ergo omnis homo est intellectivus*. Quia tamen paucæ sunt res naturales, quarum nobis definitiones, & differentię propriæ notæ sunt, ideo etiam definitiones rarò demonstrationem intrant.

6 Resol. 3. Duæ sunt necessariæ præcognitiones ad demonstrationem propter quid, an sit, & quid sit? Tria verò præcognita, subjectum, prædicatum, & principia.

Ratio 1. Partis est; Quia per demonstrationem res intellectui objecta perfectissimo modo cognoscitur: sed sine duplici hac præcognitione, an, & quid sit? res perfectissimo modo cognosci nequit; ergo &c. *min. prob.* Ut res intellectui objecta per de-

monſtrationem perfectiſſimo modo cognoſcatur, neceſſaria eſt *præcognitio* *exiſtentia*, & *eſſentia*: ſed *exiſtentia*, & *eſſentia* rei cognoſci nequit abſque duplici hac *præcognitione*, an, & *quid ſit* res? *cognitio* enim, an ſit? eſt circa *exiſtentiam*: *cognitio* verò, *quid ſit*? verſatur circa *eſſentiam* rei; ergò &c.

Ratio 2. *Partis* eſt; Quia in omni *demonſtratione* perfecta præcognoſci oportet primo id, quod demonſtratur: ſecundo id, de quo aliquid demonſtratur: tertio id, quò aliquid demonſtratur; res enim penitus ignotæ nec demonſtrari poſſunt, nec ſciri: ſed *prædicatum* eſt, quod demonſtratur: *ſubjectum*, de quo aliquid demonſtratur: *principium*, ſeu *medium*, quò *prædicatum* demonſtratur de *ſubjecto*; ergò tria hæc *præcognita* ad omnem *demonſtrationem* neceſſaria ſunt. Sed

7 Quæres: Quid de ſingulis præcognoſci oporteat?

Reſp. 1. De *prædicato*, ſeu paſſione præcognoſci oportet, *quid ſit*? hoc eſt, & nomen, & naturam, ſaltem in confuſo, v.g. demonſtras, cor duplici motu, *ſyſtoles*, & *diaſyſtoles* moveri, oportet, ut ſaltem in confuſo noveris, quid nomine *ſyſtoles* intelligatur, & *quid ſit*? rei enim omnino ignotæ, ut mox dixi, nec amor ſciendi, nec *demonſtratio* eſt: non tamen oportet præ-

no-

noscere, quòd sit; hoc enim in conclusionem probatur; non ergò ante conclusionem prænosci debet.

Resp. 2. De *subjecto* prænosci oportet, *quid sit*? saltem quoad cognitionem imperfectam, & experimentalem; si enim nescias, quid sit cor? de illo nihil probabis, aut demonstrabis: non tamen semper oportet prænosci, *quòd sit*; tum quia de multis demonstramus, quòd sint, v.g. de materia, de tribus principiis &c. tum quia propositiones in materia necessaria, & æternæ veritatis abstrahunt ab existentia, ut hæc: *homo est animal &c.* plerumque tamen ab existentia *subjecti*, nobis per sensus noti, movemur ad ejus proprietates, & accidentia investiganda.

Resp. 3. De *principiis*, seu *mediis* oportet nôsse, *quid rei*, & *quid nominis*? nomen enim est nota, & velut facies externa rei: *quid rei* prænosci oportet; quia cognitio præmissarum est causa, ut cognoscatur conclusio; debet illa ergò præcedere, & si nescias, quid sit rationale, non potes scire, an sit causa, vel non sit causa, an connectatur, vel non connectatur cum risibilitate?



Quæstio V.

Quid, & quotuplex sit Demonstratio circularis? & an Demonstratio Quia pariat scientiam?

S U M M A R I A.

1. Definitur, ac dividitur demonstratio circularis in formalem, & materialem. 2. Formalis vitiosa, ac prorsus inutilis est, non item materialis. 3. In omni demonstratione devenitur tandem ad principia per se nota. 4. Demonstratio Quia generat scientiam, sed non perfectam. 5. & 6. Solvuntur objectiones. 7. In quibus differat Demonstratio Quia, & Propter quid?

RESOL. 1. Demonstratio circularis dicitur, quando conclusio probatur per certas præmissas, & istæ probantur per conclusionem, v.g. *Petrus est rationalis; ergo est risibilis*; & si aliquis neget antecedens, in circulum redeas dicendo: *Petrus est risibilis; ergo est rationalis*. Alia est formalis, & alia materialis. Formalis est, quando conclusio tantum ex præmissis, & non aliunde nota assumitur ad probanda principia. Materialis

terialis est, quando conclusio aliunde, quàm ex præmissis nota assumitur ad principia demonstranda, v.g. *est copia vaporum; ergò erunt pluvia* (sunt enim vapores causa materialis pluviarum) quòd si noscam ab experientia, pluvias copiosas extitisse, possum sic argumentari: *sunt pluvia copiosa; ergò erit copia vaporum;* ubi pluviae demonstrant vapores, non ut conclusio deducta ex vaporum existentia, sed ut experientia notæ.

2 Quæres: An *demonstratio circularis* bona sit, an vitiosa?

Resp. *Demonstratio circularis formalis* omnino vitiosa, ac prorsus inutilis est, non item *materialis*, quæ bona est, ac utiliter scientiis deservire potest.

Ratio 1. *Partis* est; Tum quia sequetur, idem omnino, & eodem modo esse notius præmissis, & esse ignotius: notius, quia est medium probandi principia; ignotius, quia est conclusio ex principiis deducta: tum quia, negato antecedente, & præmissis, negatur etiam consequentia, ex antecedente tantum nota, & deducta ad probandum idem antecedens, *demonstratio* enim fieri debet ex admissis, & veris, non ex negatis, & falsis; ergò &c.

Ratio 2. *Partis* est; Quia, quando conclusio aliunde notior est præmissis, nihil ob-

ſtat, quò minùs hæ per illam demonſtrari queant; ſicut enim natura in circulos abit, & unum ex alio naſci videmus, vapores ex pluviis, iſtas ex vaporibus, fructum ex ſemine, ſemen ex fructu; ita abſurdum non eſt, eoſdem circulos ſcientiis concedere. Cæterùm

3 Adverte: In *demonſtrationibus* tandem deveniri ad principia aliqua non ſcita, ſed *per ſe* nota, & quæ non demonſtrantur, ſed ſunt principia demonſtrandi: ſicut unitas non eſt numerus, ſed principium numeri, & lux non per aliud, ſed ſeipsâ videtur.

4. *Reſol. 2. Demonſtratio quia* producit quidem habitum ſcientiæ, non tamen *perfectum*, ſed *imperfectum*, & per modum diſpoſitionis.

Ratio 1. *Partis* eſt; Quia cognitio certa, neceſſaria, & evidens producit habitum ſcientiæ: ſed *demonſtratio quia* infert cognitionem certam, neceſſariam, & evidentem; ergò producit habitum ſcientiæ. *M. eſt certa. min. patet* in hoc ſyllogiſmo: *omne reſpirans vivit: Petrus adhuc reſpirat; ergò Petrus adhuc vivit*: quæ conſuſio omnino eſt ſcientifica, cùm ſit certa, neceſſaria, evidens, & diſtincta ab actu fidei, & opinionis, ut conſtat; ergò &c.

Ratio 2. *Partis* eſt 1. Ut *demonſtratio* pro-

producat habitum scientiæ perfectum, procedere debet per causam rei: sed demonstratio quia non procedit per causam rei; ergo non producit habitum scientiæ perfectum. *M. patet*; scire enim, ut supra dictum, est cognoscere causam, propter quam res est, & illius causam esse &c. min etiam constat; demonstratio enim quia ostendit tantum, rem ita esse, non verò, quare ita sit? & ideò nec intellectum quietat, sed tantum disponit ad perfectam scientiam: & quia hæc imperfectio non sumitur ex intellectu, ejusq; remissa cognitione, sed ex parte medij, ideò est essentialis demonstrationi quia, & ideò, licet millies repetita, nunquam tamen perfectam scientiam producet.

Ratio est 2. Ad scientiam subalternatam pertinet scire quia, ad subalternantem propter quid, ut postea dicetur: sed scientia subalternata valde est imperfecta, nec habet statum, & apicem scientiæ, donec subalternanti, ejusque principiis jungatur, v.g. hæc argumentatio scientiæ Perspectivæ: luna vicinior est terræ, quàm stellæ fixæ; ergo major apparet, non est perfecta, donec accedat principium Geometriæ, cui Perspectiva subalternatur, videlicet, vicina ideò majora apparent, quia per majorem angulum videntur; quò enim objectum, ejusque basis remotior, eò lineæ ab ob-

Uu s

jecto

jecto ad oculum ductæ minorem, & tenuiorē cuspidem formant. Vide S. Thom.
 1. p. q. 1. a. 2. & q. 14. de verit. a. 9. ad 3.
 & 1. Poster. lect. 23. 24. & 25.

§ Objic. 1. *Cont. 1. Part. 2. Resol. Demonstratio*, ut pariat scientiam, debet esse infallibilis: sed *demonstratio* quia non est infallibilis; ergò non parit scientiam. *min. prob.* Quia cognitio effectûs, per quem hæc *demonstratio* datur, soli innitur experientiæ, & inductioni, quæ fallax est; cum non possit experientia, & inductio esse universalis, ac omnium individuorum, & sensus sæpè fallantur; sicut ergò testimonium nuntij, aut interpretis fallacis non potest esse motivum, & ratio certæ, & indubitatæ fidei, ita nec cognitio effectûs, per fallacem experientiam comparata, motivum certæ, & evidentis scientiæ: hæc ergò propositio: *omne respirans vivit*, non est indubitata; quid si enim aliqua respirent, nec tamen vivant? nam & in cœlis est motus trepidationis sine vita, & in mari reciprocans æstus, & in acu magnetica perpetua inquires, donec in polum defigatur; ergò etiam in pulmonibus motus esse poterit, vitâ jam extinctâ.

Resp. 1. Hâc objectione nimium probari; tollit enim non solum *demonstrationem quia*, sed etiam *propter quid*; tam enim
 cog-

cognitio causæ, quàm effectûs in experientiam resolvitur, intellectu ad omnia rudi, & instar tabulæ rasæ, nisi sensus initium cognoscendi faciant, & species, & objecta sensibilia, velut colores, & exemplaria ministrent, quibus ad suas imagines, & cognitiones intellectus utitur; nec unquam cognovisset, ignem v. g. esse calidum, nisi sensu, & experientiâ docente. Unde in forma

Resp. 2. *Neg. min. ad prob. Dist. Ant. cognitio effectûs innititur soli experientiæ inchoativè, Conc. Ant. innititur soli experientiæ consummativè, Neg. Ant. & Conseq.* Quia verum quidem est, omnem cognitionem intellectivam, & discursivam initium à sensibus ducere, de quo vide S. Thomam 1. p. q. 84. a. 6. & idèò nunquam intellectus hanc propositionem universalem conficeret: *omne respirans vivit*, nisi experientia repetita, tum propria, tum omnium gentium præcessisset: semel tamen captâ experientiâ, intellectus, cui naturaliter inest facultas discurrendi, unumque ex alio deducendi, sicut api facultas mella ex floribus colligendi, movetur ad indagandas causas respirationis, invenitque, esse pulmones, & istos nunquam moveri, nisi ab anima, vitâque, cui etiam inserviunt cordis calorem eventilando; vitâ ergò sublata, cessat

ſat cauſa finalis, & effectiva reſpirationis. *Et quamvis* experientia reſpirationis non ſit univerſalis, intellectus tamen de omnibus univerſaliter concludit; *tum* quia eſt potentia multò capacior, & univerſalior ſenſu: *tum* quia novit inductione omnium membrorum, & organorum in corpore humano, motum pulmonum à nullo eorum fieri poſſe, niſi motu vitali accedente, & hauſto aëre ſinus pulmonum diducente, ac iterum comprimente. *Nec* ſenſus falluntur circa objectum proprium, & ritè applicatum, & maxime, ſi omnium ſenſus in idem conſpirent, nulla poteſt eſſe falſi, aut erroris ſuſpicio: ex multo experientiarum, effectuum, cauſarum contextu tandem ab intellectu *demonſtratio* conficitur, & ex *demonſtratione* certa ſcientia. Illud verum eſt, ſicut una certitudo eſt major alterâ, una lux aliâ clarior, ita unam *demonſtrationem* eſſe aliâ certiozem: multæ etiam videntur *demonſtrationes* eſſe, quæ tales non ſunt, & falſæ eſſe deprehenduntur, non ideò tamen univerſim *demonſtratio* eliminari debet; nam & falſum aurum, & falſi colores, & falſæ margaritæ veris non obſtant.

- 6 *Objic. 2. Cont. 2. Part. 2. Reſol.* Etiam *demonſtratio* quia datur per cauſam; fumus enim eſt cauſa, ut cognoſcas ignem ſub eo latentem; ergò *demonſtratio* quia æquè
pro-

producit habitum scientiæ perfectum, ac demonstrationis propter quid.

Resp. Dist. Ant. Etiam demonstratio quia datur per causam in essendo, Neg. Ant. dari enim per causam in essendo est proprium soli demonstrationi propter quid: datur per causam in cognoscendo, Conc. Ant. & Neg. Consequent. Quia causa in cognoscendo, & intentionalis longè est imperfectior causâ in essendo, & reali. Ex dictis

7 Inferitur: Multùm differre demonstrationem quia, & propter quid. Nam

1. Sicut effectus non continet totam causam, maximè æquivocam, ita nec cognitio, & demonstratio per effectum perfectè causam repræsentat, sed aliquam tantùm ejus partem, prout cum effectu cognito connexionem habet, v.g. Parrhasius ex duabus tenuissimis lineis, ab Apelle in tela ductis, cognovit quidem, Apellem insignem pingendi, miscendique coloris artificem esse; cognovit, aliquem in officina fuisse, qui lineas telæ induxerit, sed tamen totam artem Apellis cognoscere non potuit, an videlicet proportionem colorum, umbrarum, corporum calleret? an sciret coloribus perennitatem dare? an animi motus penicillo exprimere? &c. hæc enim per duas illas lineas constare non poterant. Cognitio verò per causas est mul-

tò amplior, quia totum effectum continent; & ita Beati in Deo omnes creaturas, velut in causa videre possunt: & qui totum habitum, & artem pingendi in Apelle cognovisset, omnia quóque illius opera, picturas, imagines habuisset perspectas: sicut viso triangulo tres angulos, viso igne lucem, motum, colorem ignis videmus; *demonstratio* ergò per causas longè amplior, & perfectior.

2. *Demonstratio quia* relinquit intellectum inquietum, suspensumque, donec radicem, & causam veritatis sciat; viso fumo intellectus ignem continuò agnoscit: sed non sufficit illi scire, ubi fumus est, illic ignem esse; pergit porrò, & scire avet, cur fumus ex igne? cur non æquè ex aqua? & causam adeptus quiescit.

3. *Demonstratio quia* disponit ad demonstrationem propter quid, & ad hanc, velut dispositio ad suam formam reducitur. Videntur tamen istæ duæ demonstrationes specie distingui; quia luminibus, ac præmissis, seu motivis diversis nituntur, v.g. cœlos incorruptibiles esse, à priori sic probo: materia capax diversarum formarum est radix corruptionis: sed in cœlis non est materia capax diversarum formarum; ergò in cœlis non est radix corruptionis. A posteriori sic: quod est corruptibile, aliquando corruptum est, saltem quoad aliquas

quas partes, ut inductione patet: sed cælum nunquam corruptum est; ergo cælum non est corruptibile. Prima demonstratio sumitur ex causa corruptionis: secunda ex effectu, qui est actualis corruptio: actualis autem corruptio, & appetitus materiæ ad diversas formas non tantum sunt res, & veritates distinctæ, sed etiam diverso modo illuminant, & incorruptibilitatem manifestant; argumentatio enim à negatione perpetua actus ad negationem potentiæ est pluribus communis, & ideo non manifestat incorruptibilitatem ut sic, sed tantum sub communi ratione potentiæ.

S E C T I O I I I .

De Scientia.



Actenùs de Syllogismo, & Demonstratione: nunc de Scientia, quæ proprius Demonstrationis est partus, & ad quam tota universum Logica contendit; sicut enim omnes lineæ circuli ad centrum referuntur, ita omnes partes, & instrumenta Logicæ ad Scientiam. Nec sola Logica, sed & reliquæ scientiæ omnes militant hoc stipendio; cur enim Divina speculatur Theologus, nisi ut sciat? Quid Jurisprudencia tot legibus quærit, nisi scientiam
red-